


AB

*50B¹⁷
i.M*

~~010~~

He.

00262



*00
AB*

MEDITATIO THEOLOGICA
DE
ARBORE SCIENTIÆ
BONI ET MALI,
QVOD
*AB EVENTU, QVEM DEUS
PRÆVIDIT, DICTA SIT,
ET QVOD TESTETUR,*
*A DEO PRÆCAUTUM ATQVE
PROVISUM ESSE, NE HOMO
PECCARET.*
ACCREDIT
SERIES POSITIONUM ET OB-
SERVATIONVM,
*EX PROBATIS THEOLOGIS DE PRÆ-
SCIENTIA DEI ET CAVSSA
PECCATI,*
DOCTIS ET PIIS MEDITATIONIBUS OBLATA
A
IACOBO CONRADO BALDAMO,
V. D. M.

MAGDEBURGI,
TYPIS CHRISTIANI LEBERECHT FABRI.
A. MDCCXXXII.

2

MADEBRIG

XXXVII

EXCELLENTISSIMO
ET
GENEROSSISSIMO
DOMINO,
DN. BENJAMINI
FRIDERICO
DE REICHENBACH,
REGII CONSISTORII
SUPREMI, QUOD BEROLINI
EST, VICE - PRÆSIDI
SPECTATISSIMO,
PATRONO SUO INSI-
GNITER COLENDO ATQUE
OBSERVANDO,

HANC
MEDITATIONEM THEOLOGICAM
EO, QUO PAR EST, DEMISSI ANIMI
CULTU DICAT ATQUE OFFERT
AUCTOR.

EX-

EXCELENTISSIME
ET
GENEROSISSIME
DOMINE,
*PATRONE INSIGNITER CO-
LENDE ATQUE OBSERVANDE,*

Sæpius non sine oblectatione animum
meum subit recordatio temporis illius,
quo dotes, quas largius in TE contu-
lit summum benignissimumque Numen,
prudentiam, sinceritatem, & morum suau-
itatem, cum gravitate conjunctam, ad-
mirari potui. Et cum eruditio ac
pietatis studiis nihil TIBI prius, nihilque
antiquius semper fuerit: in TE, DOMINE
GRATIOSE, per viam laborum ac meri-
torum decentissimam ad illum dignitatis
gradum, in quo illa studia promovere
datum est, evesto, providentiam divi-
nam, quæ omnia sapientissime gubernat,
ac virtutem & pietatem clementissime re-
muneratur, ita ut ampliorem habeat cam-
pum optimus animi cursus, tacite mecum
veneror. Præter ea benevolentia & fa-
vor generis **REICHENBACHIANI**
erga

erga b. Hævekeri, Inspectoris quondam
 & Pastoris apud Calbenses, avi mei ma-
 ternali, familiam in spem me vocavit, fore,
 ut hoc laborum Theologicorum speci-
 men, quod TIBI submissæ offero, tan-
 quam publicum animi mei TIBI deditissi-
 mi monumentum, non asperneris, sed,
 qua cunctos soles, humanitate & plagulas
 hasce accipias; idque ut facias ea, qua
 decer, animi observantia a TE peto atque
 contendeo. Suscipias itaque hoc scriptum
 serena fronte, quia saltem scopus scriben-
 di, qui ad Dei & Domini nostri hono-
 rem, ad quem propagandum ac amplifi-
 candum nihil non agis, collineat, TIBI
 longe erit gratissimus, & licet ipsa tractatio
 parum eximii contineat, vel solus ille
 efficiet, quo minus non prorsus indigna
 meditatio hæc censeri debeat, quæ PER-
 ILLUSTRI Tuo NOMINI sacra sit. Gra-
 tulor TIBI mentem puram & illibatam
 ab illo seculi contagio, quo Deum Ter O-
 ptimum Maximum caussam peccati facere
 multis modis subdole laborant homines,
 & in vanis ratiociniis, nescio quam, sci-
 entiæ & sapientiæ laudem collocant: &
 hoc nomine felicem me judicabo, quando

conatus mei TIBI aliquo modo probati fuerint, & hunc ingenii bonique animi fœtum omni modo foveris. Cæterum mearum omnino partium esse existimo, ut Deum præpotentem assiduissime rogem, velit TIBI & omnibus utriusque Reipublicæ summis Viris, qui habent mentem solidis revelatæ religionis principiis innutritam, ac veram & non fucatam pietatem generosis animis infixam, ex vera Arbore vitae salutem omnigenam largiri, & TE, DOMINE PERILLUS-TRIS, omnis felicitatis genere auctum cumulate ac locupletatum, ad seram usque senectutem servare. Hæc votorum, hæc precum summa est, quas ex animo pro salute TUA fundet indefessus,

*PERILLUSTRIS ET EXCEL-
LENTISSIMI NOMINIS TUI*

Meizendorffæ,
die XIV. Maii
MDCCXXII.

cultor observantissimus

IAC. CONR. BALDAMUS.



BENEVOLO LECTORI

Salutem omnigenam
EX ARBORE VITÆ VERA!

Facile prævideo, non defuturos, qui hoc genus scripturæ, quod in publicam profero lucem, leve & non satis dignum doctorum virorum lectione judicent. Sed hi erunt fere, qui ex mole chartarum scripta & libros assimilare solent. Magni tamen viri in bibliothecis suis ejusmodi meditationibus, quæ paucis paginis continentur, locum haud raro concederunt, & se ex iis non parum quandoque profecisse confessi sunt ingenue. Ego quidem, mecum habitans, non ignoro, quam sit mihi curta supellex; præsertim cum incendium, divinitus immisum, studiorum cursui multa impedimenta per aliquot annos attulerit, meumque librorum apparatum, valde exiguum, in statu quo manere jusserit. Nec vanam gloriolam capto, nec huic, quam vides, meditationi existimationem magnorum virorum postulo; sed doctos

A 2

tantum,

PRÆFATIO.

tantum, cum venia ipsorum, irritare volo, ut hanc, quam tractandam sumsi, materiam plenius accuratiusque pertractent; quia opinor istum laborem facere ad Dei & Domini nostri gloriam contra eos, qui non verentur Summo Bono caussam peccati, si non directe, saltem indirecte, tribuere. Quod si certior factus fuero, conatum meum non improbare doctos & pios viros, meditatio de נֶשְׁמַת חַיִם, anima vitarum, Gen. II, 7. quæ, coll. Deut. VIII, 3. Mat. IV, 4. aliisque S. Scripturæ locis, ostendet rationes, cur ὁ Λόγος ἐποιεῖται in S. Cœna, & λόγος προφητείας sint alimenta animæ nostræ, hanc forte excipiet. Iam vero hoc a TE, BENEVOLE LECTOR, peto atque contendeo, velis tecum rogare IESUM CHRISTUM, qui est vera & unica Vitæ Arbor, ut contra serpentis antiqui machinationes, contraque seductam misere & deceptam arrogantium hominum turbam sapientiæ & bonitatis divinæ honorem clementissime tueatur, & qui calamitose in errore constituti sunt, ab eo liberatos, in rectum tramitem reducat, qui autem veritatem agnoverunt, in ea corroboret atque confirmet. Mediteris, quæso, etiam tecum id quod s. MACARIUS Homil. IV. §. XXVII. scribit: *Ipse quidem (Pater cælestis) paratus est exhibere nobis suum auxilium. Modo nos ipsi a malis preoccupationibus abstineamus, quantum in viribus nostris est, & odio prosequamur opera mala, & mundi technas atque improbos & vanos sermones (λογισμοὺς) abhorre-*

PRÆFATIO.

5

horreamus. & per omnia ei, quantum fieri potest,
adglutinemur.

Quod denique unam alteramque observationem Theologicam de præscientia Dei, quæ ad lectionem meditationis nostræ blande & suaviter quasi invitant, huc transcribam, ut æqui bonique consulat B. L. non est quod multis monendum arbitrer.

A V G V S T . lib. X. Confess. c. 2.

Deum sibi abscondunt, qui in Deo non credunt scientiam omnium. Tantopere hæc est oculus Providentiae, in œconomia erga creaturas lux omnium attributorum. Ut nihil sit insipientius CICERONE, qui alias videatur sapiens, negante scientiam futurorum, in libris de *divisione*: tollit enim stolidæ omnem providentiam argumentationibus vanissimis.

Et quid mirum? homo enim usque adeo est depravatus, ut DAVID, illuminatus, adhuc fateatur Ps. CXXXIX, 6. *Mirabilis scientia präme;* altior, quam ut sufficiens sim illi. Quo magis intelligimus, illum demum videre aliquid de Providentia, qui Dei Præscientiam veneretur; qui vero hanc parum agnoscat, nil videre. Hic OCULUS ergo ante oculos sit nobis, necesse est; purgandos semper aqua viva Scripturarum, quod IEHOVAH sit Deus scientiarum: 1. Sam. II, 3. quod super libro Dei scripti fuerint dies, destinati, quum nec esset unus de illis: Ps. CXXXIX, 16. Job. XXXVIII, 21. quod norit ab

A 3

eterno

æterno Deus omnia opera sua: Act. XV, 12. ex fuscitandos etiam subinde, ipsa recordatione impletorum prædictionis eventuum; de Protevangelio; Gen. III, 15. Israelitarum oppressione in Ægypto; Gen. XV, 13. 14. Act. VII, 6. 7. eorumdem idololatria: ibid. v 42. 43. Deut. XXXI, 16. de passione Christi, per omnes ætates nunciata &c.

Beatiss. memoriae Abbas Bergensis Doct. BREITHAUPT. Institut. Theol. Tom. I. in 4to L. I. C. III. p. 130. ubi locus ille AUGUSTINI legitur, de præscientia, quæ ipsi VISIO potius, quam prævisio est, pereleganter scribit. Hic sane OCULUS Providentiae, non tantum ipsam plenissimo lumine instruit, ostendens uno perfectissimo intuitu, quicquid usquam & unquam existitum sit perfectionum ac defectum, ut *Creationis* operibus omni ex parte consulatur; in *naturalibus* ac *spiritualibus*: sed hoc etiam fundamentum est, quo in conscientia nostra posito, tam dubitationibus & scrupulis, quam temptationibus & terroribus, si unà consideramus reliqua divina attributa, ex Dei verbo mederi possumus & debemus.

Illuminans gratia Domini & Dei nostri incrementa sumat in animis veritatem colentibus ac caritatem. Dab. Meizendorffæ prope Magdeb. d. 26. Mart. MDCCXXXII.

וְרָמַיָּה

ירמיה

MEDITATIONIS THEOLOGICÆ
de
ARBORE SCIENTIÆ
BONI & MALI
CONSPECTUS.

§. I. In genere de arbore scientia & præcepto Gen. II, 16. 17. differitur. §. II. Quod arbor proprie dicta fuerit affirmatur, & allegoria absurdæ ac impiaæ disjiciuntur. §. III. Cujus speciei arbor & quod probabiliter ficus fuerit, disquiritur. §. IV. Quis arbori nomen impo-
suerit disputatur. §. V. De ratione denomina-
tionis queritur. §. VI. Indicatur quæ nostra
sit sententia de præcepto illo: non comedes &c.
§. VII. Rationes ex textu sacro, qui sedes mate-
riæ est, Gen. c. II. & III. afferuntur. §. VIII. Ad
objectionem de arbore vix respondetur. §. IX.
Usus didascalicus, qui caritatem Dei prædicat,
& omnem peccati culpam ac cauſam a Deo re-
moveat, ex nostra sententia deducitur. §. X.
Didascalia, quæ aripiav. tanquam primum pro-
prie peccati initium, adeoque diabolicum semen
omnium peccatorum, præbet conspiciendum, pro-
batur. §. XI. Doctrina de fidei necessitate &
indole confirmatur. §. XII. Elenchus stringi-
tur (a) contra Manichaorum, Pelagianorum &
Pseudophilosophorum de ortu mali otiosas &

A 4

mali-

malitiosas questio[n]es (b) contra illud Socinianorum & Episcopii figmentum, quasi Deus nil nisi minas Adamo dederit: (c) contra Huthmannianum de arbore scientia errorem (d) contra eos qui dicunt, Deum prædeterminasse hominem ad entitatem tantum actus non ad deformitatem.
 §. XIII. Epanorthotice contra eos, qui malum aequa ac bonum esse faciendum, atque sic experientiam omnia rectius docere, sibi fingunt, agitur. § XIV. Pedevtice monet. §. XV. Consolationis fundamenta, in sententia nostra sita, ostendit. §. XVI. Subjungitur series positionum & observationum ex probatis Theologis collectarum, de præscientia Dei & causa peccati. §. XVII. Oratio denique colophonis loco additur meditationi.

§. I.

Qui in silva, aut nemore, juxta arborem certam a prædonibus letale vulnus accepit, non diu quidem arborem considerat fatalem, nec de nomine ejus ac indole multum sollicitus est, mox potius medicum & medicinam querit, atque ex infimo pectore anhelat. conf. b. CHR. SCRIVERI, (pro avi nostri materni, ex cuius scriptis Theologiam Scrivieranam, in qua definitiones & positiones Biblicæ fundamentum erunt, adornare cogitamus, si modo Deus annuerit proposito) S. Sch. P. I. 5. Pred. §. 9. At vero arbor, prope quam infernalis latro primis parentibus, & in illis universo generi humano, mortem intulit, diligenter tissimam mentis contemplationem requirit, eum in

in finem, ut lapsus gravitatem, ac gratiæ medicæ & satisfactionis Christi necessitatem probe cognoscamus, omnem autem lapsus culpam a Deo Ter Optimo Maximo accurate removeamus. Laudanda igitur est quam maxime celeberrimorum Theologorum industria, quando haud contemnendis rationibus probarunt, non esse legem leviculam, aut Legislatore non satis dignam, prohibere esum fructuum certæ arboris, & quando pro legibus paradisiacis, tum naturalibus, & quidem absolutis, tum hypotheticis, aut positivis, pugnarunt. *Naturales*, & quidem *absolutas*, dicunt illas leges, quæ & hodie, tum ex lumine rationis, tum ex revelatione divina nobis notæ sunt, & quarum summa in dilectione Dei & aliorum hominum consistit. *Positivas*, aut rectius *hypotheticas*, vocari putant quas Deus naturalibus illis absolutis in paradiſo addidit; de sanctificando sabbato, de matrimonio rite ineundo, deque non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali. vid. b. D. BVDDEI *Instit. Theol. Dogm.* l. III. c. I. §. XII. XVII. coll. *Institut. Theol. Mor.* P. II. c. II. §. XXIX-XXIV. Cumprimit legem illam symbolicam de arbore scientiæ boni & mali diligenter exponunt, ubi alii inter præceptum *indulgentiæ*, de comedendo ex omnibus arboribus horti, & *imperii*, de non comedendo ex arbore scientiæ distinguunt; alii cum b. D. SCHMIDIO breviter appellant *præceptum exceptivum*, quod multum concedit, ut aliquid prohibeat, vid. b. D.

MAJI *Oecon. V. T. c. 2. §. X. p. 198.* Legi etiam meretur dialysis objectionum, quas Naturalismus circa historiam lapsus movere solet in vener. D. IOACH. LANGII *Causa Dei adv. Natural. P. I. Sect. III. Membr. III. p. 224 - 247.* in specie p. 236. sqq. ubi dignitas & gravitas legis, quæ usum fructuum ex certa arbore prohibuit, vindicatur. Huc refer illam TERTULLIANI disputationem *adversus Iudeos* p. 133. qua summa totius decalogi, adeoque omnium legum divinarum, in ista arbore fuisse comprehensam eleganter ostendit, & primam illam legem dicit *matricem omnium præceptorum*. Non habuerunt quidem protoplasti proximos, erga quos exercere potuissent ea quæ in decalogi tabula secunda postea sunt præscripta, cum alii homines præter ipsos nondum exstarent. Eo autem sensu summa totius decalogi in arbore ista dicitur a TERTULLIANO comprehensa, quo ad explorationem obsequii illa fuit comparata. B. LUTHERUS in præceptum illud commentatur sequentibus: *Hæc concio, inquit, Adæ & omnibus nobis, si in innocentia perflitisset, fuisset tanquam Biblia.* Paulo post monet Deum hoc modo *Adæ dedisse verbum, cultum & religionem nudissimam, purissimam & simplicissimam, in qua nihil laboriosum, nihil sumtuosum sit.* - - *Hoc tantum vult, ut laudet Deum, ut gratias ei agat, ut latetur in Domino, & in hoc ei obediat, ne ex vetita arbore comedat.*

§. II.

ARBOR PROPRIE DICTA FUIT. II

§. II.

Arborem proprie dictam fuisse illam, de qua agimus, ~~donum suum~~ nemo sanus facile negaverit. Ut adeo mirari subeat, scribit b. D. MAJUS *Theol. Proph. Loc. V. §. 28.* quorundam sive audaciam, sive impietatem, qui Allegorice arborem interpretantur, vel de *coitu venero*, quia *cognoscendi* verbum de eo saepe adhibetur: vel de *Eva*, cum qua congregidi Deus in Paradiso prohibuisset: vel, quod vix referre audeo, de *Adami membro virili*. Refelluntur haec nugae, Christiano homine indignae, (a) *καὶ πέπον*, quando nitimur proprietate vocis οὐ, etz, quae nil nisi arborem h. l. designat, aut citra absurditatem designare potest. Deinde *εἰδειν*, edere, nuspiciam est coire in sacris literis; neque *υγρά σείτιν*, cognovit, semper & ubique de concubitu usurpatur, sed propria illius vocis significatio ad intellectum, cum affectu voluntatis coniunctum, non ad appetitum sensitivum, spectat. (b) *καὶ διάβολος* argументamur ab absurdo: si *Eva* est arbor illa, sequitur Evas seipsum devorasse, quia fatebatur, se comedisse fructum arboris (& quidem absente Adamo comedit) id est *Brownio* egregie scilicet interpretante, secum ipsa congressa est. Si denique in *Adamo* arbor fuit, cum quo viro rem habuit Eva, quando Adamo absente eam degustavit? Ac ipse Adam secum ipso congressus est, quia similiter de arboris fructu comedit, (si *edere* est coire:) nisi forte virile membrum sibi amputavit,

12 IMPIÆ ALLEGORIÆ REJICIUNTUR

vit, quoniam hoc de arbore intelligit impurus
Beverlandius.

*Ipsé bubulus, ut recte SALDENUS L. III.
Ex. XI. ait, quæ de horto hoc narrantur, proprie-
sumit. ut & quæ de Arbore vitæ occurrunt, quid
ergo altera hec arbor mythologice & symbolice
est accipienda? vid, omnino D. MAJUS I c. ubi
nominantur etiam pii quidam & docti viri, qui
*Thomam Brovvnium & Adrianum Beverlan-
dium*, ne stulti sapientes sibi viderentur, ex insti-
tuto refutarunt.*

Ceterum cum b. LUTHERUS in Gen. xxx. *Al-
legoria*, inquit, est tanquam formosa meretrix,
que ita blanditur hominibus, ut non possit non
amari, præsertim ab hominibus otiosis, qui sunt
extra temptationem: non immerito dixeris istas
de arbore scientiæ allegorias deformes & impu-
dicas meretrices, quas tamen non mirum est
placuisse hominibus coecutientibus, seu potius
lumine Spiritus S. plane destitutis, a spiritu verti-
ginis impuritatisque misere actis, & revera irri-
soribus Verbi Dei ridiculis. Hunc tamen fructum
inde percipere potest pius lector, ut sibi cavere
discat a proprio spiritu, quippe qui malus mysti-
cus est, & involat in sacrum textum, ac præcon-
ceptis opinionibus, quas præjudicia vocant, illum
conspurcat, aut profano animi habitu tanquam
nasum cereum scripturæ s. sensum fingit & refin-
git, & quo loco Verbum Dei habeat, ineptis ex-
plicationibus prodit, stulto denique supercilio,

con-

contemtis aliorum, vel solidissimis, explicationibus semetipsum in suis inventis, quamvis antehac inauditis, penitus admiratur. Imploremus assiduissime Spiritum Dei sacro sanctum, optimum verborum suorum interpretem, ut puriore illa cælesti luce intellectum perfundat, & voluntatem sincero Dei timore ac amore replete, ut divinæ legis mirabilia ad summi Numinis honorem & salutem nostram videamus. D. HIERONYMUS ad Gal. V, 20. ubi Paulus inter *manifesta carnis opera* hæresin refert, scribit non minus vere quam graviter, *omnem eum quoque hereticum appellari posse, qui aliter Scripturam intelligat, quam sensus Spiritus S. flagitet, quo conscripta sit, licet de Ecclesia non recesserit.*

S. III.

Cujus speciei fuerit arbor scientiæ boni & mali non una est sententia. Alii existimant quod *malus* fuerit, diversæ tamen speciei a malis nostris omnibus, quo Cant. VIII, 5. trahitur. Ex AUGUSTINO b. noster LUTHERUS forte illam opinionem enarrat tantum Comment. in Gen. Aliis placet *vitem* fuisse: ratio est, quod Salvator noster ex vitis fructu S. Coenam instituerit, tanquam medicinam contra peccatum Adamiticum. Pro hac sententia pugnant etiam Iudæi, & LIGHTFOOTUS putat, probabilem illam reddi ex lege, qua Nasiræis usus vitis penitus fuit prohibitus: hanc enim legem respexit istam prohibitionem Adamo, dum innocens esset, factam. Pro

fici

ficiu maxima interpretum pars decertat. THEODORETUS *Ques.* xxix, in *Gen* hanc rationem affert, quod sibi subligacula primi parentes ex fico paraverint. Sed invertunt alii hoc argumentum, cum longe vero similius sit, odium ingens & horrorem cepisse hominem illius arboris, ex qua tantum damni accepit, ideoque ab ea potius fugisse. SALDENUS vix, inquit l. c. credibile est, tales sibi Protoplastos, jam lapsos, vestes comparasse, quæ semper ipsis & inobedientia & stultitia sua forent commemoratrices & exprobratrices, ut certe fuissent ficalne & istæ si ejusdem cum arbore vetita naturæ exstitterent.

Sed, quam diu gratia Dei homines non quæsivit, illique vocem Domini non audiverunt, non fuerunt pœnitentes, nec agnoverunt, se graviter peccasse & tantæ inobedientiæ ac stultitiæ reos esse, id quod liquet ex Adami atque Evæ excusationibus *Gen.* III, 12. 13. nec puduit eos tam peccati, quam potius deformitatis & infirmitatis, quas post lapsum in se animadverterunt, ad eoque ex obviis statim soliis ficus absque considerationibus, quales in animis pœnitentibus solent oriri, subligacula sibi fecerunt. Quid? peccatorum, quos nondum pœnitentia subit, indoles est, teste experientia, ut ex ipsa re, qua peccarunt, prætextus & integumenta sibi sumant, inque his glorientur, quasi re bene gesta. Pœnitentibus omnes vestes sunt inobedientiæ & stultitiæ commemoratrices & exprobratrices, D. MALUS

Theol.

Theol. Proph. Loc. V. §. 30. citat Almenoveenium, qui in specimen Antiquitatum e sacris profanarum ex Patribus Tertulliano & Ireneohanc sententiam de ficu tribuat. Et quamvis rationes, quas ille doctus vir l. c. adfert, parum roboris habere existimetb. Theologus Giessensis, probabilissimam tamen alioqui sententiam istam putat, & contra Saldenum unum alterumque probabile argumentum pro illa in medium produxit. In primis notabilia sunt quæ de ficu indicā, *Mauza* dicta, quæ etiam circa Damascum crescit, narrat (a) quod nimurum Christiani Orientales aperte affirment, ex illius foliis consuta fuisse Protoplasmorum subligacula: (β) quod tam longa & lata illius folia sint, ut quisque facile uno tantum tegi atque cooperiri possit: (γ) quod fructus, a stipite pendentes, fabarum recentium siliquæ instar, sapore delicati, gratique palato, odore rosis non dissimiles existant. *Mauza* descriptionem ex SIONITÆ libro de urbibus & moribus Orientalium clariss. HOTTINGERUM sibi suppeditasse, atque testatum esse, se ejusmodi folium aliquando Lugduni Batavorum in ædibus Iac. Golii, ex Syria alatam, oculis subjecisse refert, & provocat ad breviorem descriptionem illustris LUDOLFI Hist. Æth. l. 1. c. 9. §. 21. sqq. qui ibidem conjicit, haud alium fructum *Dudaim* fuisse, super quo Iacobi uxores altercatæ sunt. Forsan ad confirmandam illius de ficu sententiaz probabilitatem aliquid faciet quod Salvator sicui maledixerit, & ea occasione

fione fidem discipulis commendaverit Matt. xxii,
19. 21. Fides juxta arborem scientiæ boni & mali,
quam ficum fuisse probabiliter statuimus, exarue-
rat, commendante arborem, & simul τὴν ἀπιστίαν
satana, patre mendaciorum: nunc juxta ficum
maledictam ab Eo, qui est ὁ τῆς πίστεως αρχηγὸς καὶ
τελειωτὴς (Ebr. xii, 2.) fidei dignitas & gravitas
docebatur emphatice. Quomodo ficus utiliter
arbor scientiæ, seu discretionis, esse possit ac debeat
ostendit Os veritatis Mat. xxiv, 32. 33. γνῶσκετε
conf. cum versione LXX. Gen. III, 5. Scio qui-
dem illa, quæ Salvator merentissimus cum ficu egit
Mat. xxii. & de ficu dixit Mat. xxiv. explicari de
Ecclesiæ Judaicæ fatis adversis & felicibus coll.
Jerem. xxiv. Sed unius sensus positio non est al-
terius exclusio, cum justa subordinatio locum ha-
beat, si statuatur, Dominum non absque ratione
ficum elegisse, quando sub schemate arboris Eccle-
siam Judaicam denotare voluit. Ostentabant tum
temporis Judæi scientiam boni & mali, a serpente
antiquo misere excoecati & decepti, quam osten-
tationem maledictio excipiebat. Tempus autem
longe aliam scientiam docebit, quando ficus illius
ramus fiet tener & folia ejus enata sec. vers.
SEB. SCHMIDII Mat. xxiv, 32.

*Qualiscunque tandem fuerit arbor, inquit D.
MAJUS, ea certe malos nobis fructus & pejores
malis Sodomiticis, dedit, daran wir noch zu
dauen haben, weil wir den ewigen Tod uns
an den Hals gefressen. Qui aurem habet au-
diat,*

2000

dicit, quid spiritus dicat Ecclesiis Apoc. II, 7. Ei, qui vincit (perseverando ad finem usque in Verbo Domini, aliter quam Adamus, & in confessione veritatis Evangelicæ, sibique cavendo ab esca voluptatum carnalium, a scientia illa boni & mali, quam Nicolaitæ commendant) *dabo, ut comedat de ligno vite, quod est in medio Paradisi DEI.* Qui caritatem priorem, quam Adamus & Eva habuerunt ante lapsum, renovare magis magisque studet, ille ad priorem paradisiacum statum renovatur, & scientiam boni & mali vetitam, qualiscunque fuerit arbor aut res, circa quam serpens illam venditat, probe dignoscere & discernere a salutari scientia potest.

vid. ad locum Apoc. II, 7. CAMP. VI.
TRINGÆ *Aveinque*. & celeb. D. IO. IAC. RAM-
BACHII (cujus amicitia me oblectabat cum intra eosdem parietes, tanquam domestici vener. præceptoris, D. IO. HENR. MICHAELIS, degremus) Betrachtungen über die sieben Verheissungen ec. p. 15. seqq. ubi non minus pie quam solide textus ille tractatur.

§. IV.

Majoris momenti quæstio est, quis arbori nomen imposuerit. Recepta fere inter Theologos est sententia, a Deo ipso nomen hoc inditum fuisse arbori, & nititur ista loco Gen. c. II, v. 9. In primis PAREUS & SALDENUS inter Reformatos hoc acriter contenderunt. SEB. SCHMID autem, cuius explicationes multum alias me-

B

rito

rito suo valent apud celeb. S. S. interpretes, singularis plane est sententia, arborem nimirum scientiæ boni & mali, æque ac arborem vitæ, suam denominationem a Deo non accepisse, sed utriusque a satana nomen impositum esse, qui tale quid finxerit ad decipiendos primos parentes. Unde porro concludit, quod arbori vitæ non magis insita fuerit vis prolongandi vitam, quam arbor scientiæ boni & mali cognitionem in homine producere aut augere potuerit. Cumque jam Gen. II, 9. nomina istarum arborum commemorentur, id per prolepsin fieri, existimat. Habuit, cum adhuc studiosus esset, anno 1643. sub præsidio IO. SCHMIDII Disp. quam inscripsit *Explicat. Philol. versuum 6. 7. 8. 9. 10. c. II. Genes.* ubi probabilius, inquit, videtur, (si modo doctis non displiceat) hanc arborem (vitæ) vim prolongande vitæ non habuisse, sicut arbor scientiæ boni & mali vim dandi scientiam boni & mali non habuit: sed factum esse a Diabolo. Scilicet Diabolus gemina tentatione hominem aggressus est: 1. ut de arbore scientiæ boni & mali comederet: 2. ut de alia arbore, quam ipse arborem vitæ, quasi fructus ejus vitam eternam daret, appellavit, sumeret. Hæc defendit vir ille magnus post viginti duos annos in *Disput. de Glorificat. sanctorum ex Ies LXV. 22.* quæ nona est in *Fascic. Disput. Theol. Philol. p. 515-526.* contra THEODORICUM HACKSPANIUM, qui in *Not. Theol. Philol. p. 62.* istam sententiam, suppresso tamen SCHMI-

AN SATANAS NOMEN IMPOSUERIT? 19

SCHMIDII nomine, impugnaverat. Cum autem
GUIL. SALDENUS *Orior. Theol. l. III. Exercit.*
XI. §. 10. denuo viri doctissimi non indoctum
problema & modestam certe ac innoxiam opini-
onem appellare commentum haud veritus esset,
defensionem Praeceptoris quondam sui quodam-
modo in se suscepit, quem jam laudavimus, IO.
HENR. MAIUS in *Dissert. sacr. loc. V pag* 359.
idemque post alias rationes ingenue fatetur, se
didicisse ex IO. GERHARDI *Disp. Isagog XXII. §.*
20. non novam esse hanc sententiam, quia RUPERTUS
2. de Trin. & PERERIUS post eum, puta-
vit, arborem scientiae boni & mali ita dictam fu-
isse ob mendacia & falsa serpentis promissa, qui
primos homines ad edendum ex arbore pelle-
rit, verbis mendacibus pollicitus, fore eos simi-
les Diis, scientes bonum & malum. Idem sensisse
TORNELLUM in *Annal. sac. p. 50.* & TO-
STATUM, quos citet CHRIST. CHEMNIT. in
Disput. pec. §. 2. &c. 5. licet hic eos deserat, suam
tamen non solide probet opinionem vid. MAIUS
Oecon. Temp. V. T. c. II. §. VIII. p. m. 179. conf. Ej.
Theol. Iud. Loc. VII. §. III. ubi ex Pontificiis ME-
NOCHIUM atque TIRINUM citat, ironice ita
vocatam arborem dicentes, q. d. *arbor illa egre-
gia scilicet, quam mendax d̄emon promiserat,*
*daturam scientiam, quasi divinam omnis boni
& mali.*

Conciliari forte utraque sententia potest,
si denominationem arboris ipsam Gen. c. II, 9.

B 2

Deo

20 CONCILIATUR UTRAQUE SENTENTIA.

Deo tribuamus, rationem vero denominationis fraudi satanæ, qui penes istam arborem homini majorem, eamque perfectam, scientiam boni & mali promissurus erat, quam fraudem Deus prævidit, & eum in finem, ut homo sibi ab ista fraude caveret, arborem appellavit arborem scientiæ boni & mali. Paganorum idola vocavit IEHOVAH, quando prohibuit cultum idololatricum, deos Exod. XX, 3. cum tamen dicat Ies. XLIV, 8.
non est Deus præter me, nec petra, non enim ullam novi (& quod ego non novi id certe nihil & nullum est) Propterea igitur IEHOVAH deos vocavit idola, quia prævidit satanam illa pro diis inter Israelitas esse ostentaturum. Quemadmodum vero non valet consequentia: IEHOVAH ipse idola vocavit deos, ergo sunt dii: ita nec illa valet: IEHOVAH arborem illam vocavit arborem scientiæ boni & mali, ergo revera talis fuit. Interdictum potius de non comedendo ex illa innuit, falsam fore & fictam de scientia boni & mali, per esum istius arboris consequenda, jactantiam. Et sufficere certe homini potuit interdictum Almæ Majestatis, cuius mandata simpliciter sunt facienda, non statim rimanda, quia simpliciter faciendo discimus justo tempore & salutariter, Deum non frustra aliquid dixisse. CHRYSOST. ad Gen. III, v. 11. Deum sic inter alia loquentem inducit: *Nonne hac de caussa, ne in tanta mala incideritis, hunc cibum prohibui?* (hanc arborem denominavi?) Nonne sicut pater dilectum filium,

filiū, de omnībus satis dilucide & distīcte instruxi? ut de aliis quidem gustares, ab hoc autem abstineres?

§. V.

Quæri aliàs multùm solet de ratione denominationis istius arboris, seu unde & cur dicta sit arbor scientiæ boni & mali. IOSEPHUS L. I. *Antiquit. c. 2.* rationem hujus appellationis defumit *ab efficacia*, seu peculiari hujus arboris virtute, quod ejus fructus, si edcretur ab homine, vim haberet augendi acumen ingenii & soler-tiam, ac prudentiam cogitandi, multumque con-ferret ad percipiendam scientiam. Sed DEUS usu ejus homini interdixit, qui tamen hominis bonis non invidet; & tantum abest, ut ista arbor aliquam scientiam & acumen ingenii Protoplasmis contulerit, postquam de fructu ejus come-derant, ut potius lumen & acumen intellectus concreatum per esum fructus illius arboris amise-rint, & coeci parentes coecorum posteriorum facili sint. RABBINI quidam quoque existimarunt, arborem ita dictam *ab effectu*, eo quod haberet vim accelerandi usum rationis & liberi arbitrii; censem enim primos parentes sine perfecto ejus usu conditos fuisse, similes pene infantibus. Sed enim vero (*a*) falso est & fictum illud funda-mentum, quasi protoplasti conditi fuerint cum imperfecto rationis usu, ut opus fuerit accele-ratione usus rationis: contrarium potius ex *evocatio*, animalibus facta, & solidissimo Ada-

22 RATIONES DENOMINATIONIS.

mi judicio de Evæ ortu & de matrimonio apparet. (β) Hypothesis illa imaginem divinam penitus evertit. (γ) Effectus quoque minime respondit, dum *esus fructus vetiti usum liberi arbitrii non acceleravit, sed perdidit.* (δ) Nulla demum ratio fuisse, cur Deus tam egregiam vim generandi scientiam arbori indidisset, a cuius tamen usu nobilissimam creaturam, sibique carissimam, arcuissest. (ε) Inter ipsos Iudeos etiam ABARBANEL refragatur sociorum suorum opinioni, quasi arbor scientia boni & mali dicta sit ideo, *quod illius *esus* perfectiorem redderet hominem in apprehensionibus vel scientiis suis, siue speculativis, siue practicis, quia homo perfectus creatus fuit,* inquit, *בכעורה שברן in operationibus intellectus sui* fol. 27. c. 3. cit. 10. HENR. MAIO. Th. Iud. Loc. V. § IX.

Rectius igitur Theologi orthodoxi dicunt, *alii*, arborem istam nomen accepisse *a fine*, seu ab usu divinitus instituto, quia condita fuerit, ut in ea disceret homo, quam bonum sit Deo obediare, quam malum vero non obediare Deo, quæ sententia b. LUTHERI Comment. in Genes. est. *Alii* existimant arborem dictam fuisse *ab eventu*, quia, post juam comederit homo de fructu arboris, experimento miserabili didicerit, quantum sit discrimin boni & mali, quam sententiam ex AUGUST. I. 14. de Civit. Dei c. 17. & THEODORETO, quest. 26. in Genes. addidit præcedenti, SAL. GESNERUS Comment. in Genes. II, 12.

Alii

Alii statuunt, eam arborem appellatam fuisse a probatione, quia hominis obedientia, & an bonus aut malus esset futurus, ad istud lignum fuisse exploranda; unde etiam antiquis arbor πειρασμή diēta fuit, arbor autem vitæ συμβολική. Qui arborem hanc inter quatuor sua, quæ statuit, sacramenta paradisiaca retulit HERMANNUS WITSIUS, inter doctos alijs magni nominis, refutatus est ab illis Theologis qui sacramentum non esse merum symbolum ac signum ex s. literis sole probarunt. vid. IO. WOLFG. IÆGERI, b. Cancellarii Tübingensis, *Systema Theol. Dogm. Polem.* I. I. P. II. p. 318. sqq. coll. p. 301. conf. IO. FRANC. BÜDDEI Institut. Th. Mor. P. II. c. II. §. XXIII.

Cui nostra non displicet sententia, quæ §. IV. rationem denominationis fraudi satanæ tribuit, suo loco & pretio forterelinquet superiores, quas alle-gavimus, sententias. Videant autem qui nimis scrupulose, aut curiose & temere, rationes denominationum inquirunt, ne contra sanam rationem sapientissimum & justissimum Deum suo damno culpent. Nec inutile esse hoc monitum docet egregie Observatio illa *Apol. A. C.* p. m. 59. *Plenus est mundus blasphemis contra Deum & impiis opinionibus. & his vinculis habet diabolus ir-retitos sapientes & justos coram mundo.*

§. VI.

Salva summorum virorum, quorum memori-am & merita justa pietate veneramur, auctoritate,

B 4

liceat

24 TRACTATIONIS NOSTRÆ INTENTIO.

liceat nobis experiri, an non cum ratione dici que-
at, arborem illam fatalem ab eventu, quem Deus
præviderat, ex præscientia divina nomen sortitam
fuisse, ita ut statuendum sit: (α) ex mera caritate,
cum dominio & auctoritate legislatoria sanctissime
& suavissime conjuncta, Deum ista arbore inter-
dixisse homini, illamque (β) appellasse arborem
scientiæ boni & mali, eo scopo, ut homo sibi cave-
ret a scientia ista boni & mali, quam satanas ex esu
fructus arboris illius promissurus erat: (γ) inde
sequi demum, peccatum primorum parentum
maxime in *anomia* constitisse, & hominem ex lege
Dei occasionem peccandi ultraattraxisse per abu-
sum liberi arbitrii. In medium proferemus ratio-
nes ex S. S. quæ in sententiam nostram deducunt,
(respondendo etiam ad objectionem de arbore vi-
ta) & consectaria, quæ exinde in Theologiam flue-
re videntur, indicabimus. Hoc autem mihi po-
stulo & supponotanquam concessum, quod inter-
dictum, quo magis ex affectu paterno profectum
conficitur, & quo severius ex amoris impulsu in-
terdicit, eo magis vim legis habeat, & eo arctius fœ-
dus operum re ipsa ac formaliter constituat, licet
non expressis verbis, & his vel illis circumstantiis,
materialiter fœdus fiat. Salva igitur esse potest
doctrina de legibus paradisiacis, & defœdere Dei
cum homine primo. Mente modo teneamus il-
lud BASILII M. I. p. 429. Hom. cit. b. Abbe
BREITH. *Instit. Theol. Loc. II. c. III. p. 305. 4to*
monitum: *Quod si ob nostri ingenii debilitatem*
omnia

*omnia Dei consilia sigillatim ratione attingere
nequimus, illud attamen animis nostris infixum
ac in confessu sit; nihil mali ab Eo, qui Bonus est
proficiuntur.*

§. VII.

Rationes sufficientes, ni fallor, in nostram sententiam afferuntur, quando ostenditur illi in textu sacro, qui sedes materiae de arbore scientiae boni & mali est, Gen. c. II. & III. nihil obstare, omnia potius quadrare satis ad illam, quantum nobis quidem perspicere licet.

(α) Gen. II, 9. relationem historicam scriptoris sacri ac prolepsin cum SEB. SCHMIDIO statuimus, & commode alterum versiculi membrum vertere atque παραφάγειν possumus sequentem in modum: & arbor vite, de qua postea dicturus sum, erat in medio horti, & arbor scientiae boni & mali, qua Deum interdixisse homini, serpentinero commendasse, mox commemorabo, ibidem erat (conf. c. III, 3.) in medio horti.

(β) Appellatio arboris divinitus facta c. II, 17. maxime nobis favere videtur, si conferamus c. III. 4. 5. Nec minus favet locus arboris prænotatus Gen. II, 9. coll. c. III, 3. Nonne, cum IEHOVAH arborem appellasset טוב ורע עץ הרעת טוב ורע *arborem scientiae boni & mali*, & locum illius prænotasset, homo sapiens potuisset & debuisset abhorrere a serpente, aut potius cacodæmone, qui dicebat וריהום ירע טוב ורע, eritis scientes bonum & malum? Quod si pater filio, cui usum liberi arbitrii

trii concessit, abeunti in forum, diceret, cave tibi a taberna fortunæ, Glucks-Bude, quæ est in medio fori, plane non ingreditor, quo die ingredieris misere decipieris, meamque indignationem, gravissimamque animadversionem experieris: nonne filius sibi caveret & abhorreret a taberna in medio fori, juxta quam stat alius una cum simia, quæ videtur loqui, cum tamen saccularius ipse loquatur, multum jaclans fortunam, accede, inquiens, fortunatum te reddam; nonne filius verborum patris: tabernam fortunæ plane non ingreditor, recordaretur? nonne cogitaret, ecce, garrit iste fortunam, cavebo mihi ab ista taberna, de qua pater præcepit: non ingreditor? Num filius, si crederet sacculario & amitteret pecuniam, ornatum & quæ pater dederat, educendo ex urna in faustas tesseras, se excusare posset, dicendo: utinam pater non præcepisset de taberna fortunæ, aut oportuisset eum accurate describere formam istius hominis, qui me decepit, & formam simiae, qua iste usus est, nec non omnia verba, quibus me pellexit, mihi expонere, pater in culpa est quod amiserim quæ habebam? Si objicias, patrem posse filium arcere a foro & taberna saccularii: atque Deum multo magis pro potestate sua & potentia potuisse impedire quo minus homo ad arborem scientiæ accessisset, respondetur, quod libertas, quæ fuit corona perfectionum omnium in homine & apex imaginis divinæ, homini debuisset adimi, & quod non in paradiſo fuisset collocandus. Nonne autem homo ex abusu liberi arbitrii æque alio in loco hujus mundi,

ac

ac in paradiſo, vel nonne juxta aliam arborem, potuit peccare? Quod si vero ad impediendum liberi arbitrii abusum Deus hominem ex mundo statim in cœlum transtulisset, nonne genus humānum desisiſſet? Mirum equidem videri posset cur satanas, si scivit interdictum Dei, non aliam arborem, alium locum, aliam μεθόδιαν seducendi elegerit? Sed satis liquet ex dubia interrogatione c. IIII, 1. eum ignorasse expressum Dei præceptum de non comedendo, & ex abstinentia hominis ab illa arbore, quam observaverat, collegisse, quod non liceat homini edere ex omnibus horti arboribus. Quo minus vero Diabolus præscientiam Dei fallere potuit, & quo magis tentatio illius exacte respondit præscientia & interdictio Dei, eo minus homo habet quod prætexat, sed eo magis est ἀναπολόγητος.

(γ) Verba Dei מות רתמוֹת, *morte morieris*, non sunt accipienda tanquam mera comminatio, sed potius tanquam prædictio. b. LUTHERUS etiam reçle vertit c. II, 17. wirst du des Eodes sterben, Prædictionem autem illam comminationem involvere vid. infra §. XII. num. V. Chavam verba illa Dei c. II, 17. magis tanquam paternum præmonitum & prædictionem fidelissimam, quam ceu præceptum & comminationem, intellexisse, cum adhuc esset integra, liquet ex verbis יְהִי מָתָה, ne moriamini c. III, 3. Errant ludæi, qui Chavae vertunt vitio, & in eo lapsum constituunt, quod verba Dei mutaverit, & hoc ita accipiunt, quasi jam dubi-

dubitaverit de poena mortis vid. RASCHI ad Gen. III. item *Breschit Rabba* (commentarius allegorico-historicus in Genes. *Rabbi bar Nachmani*, cuius totum volumen vocatur *Rabboth*) fol. 18. col. 3. *Zeror hammor* (Commentarius in Legem R. Abr. Seba) fol. 7. c. 4. cit. IO. HENR. MAIO *Theol. Iud. Loc. VII. §. 3.* cf. I. A. EISENMAYER im entdecften Judenthum P. I. c. 18. p. 827. פָּרֹשׁ עַל, *interpretative*, Chavam verba Dei retulisse satis liquet ex sincera eorum quæ IEHOVAH dixerat expositione, quæ serpentem antiquum eo adegit, ut ad impudentissimam contradictionem, לֹא־מִתְחַמֵּת, nequaquam moriendo moriemini, & ad calumniam se reciperet, cum Chavam sensum verborum Dei recte percepisse & tenere animadverteret. De genio Iudeorum excoecato & inde ad comminiscendum ingenioso, quod ὥστε παρόδω moneo, vid. *Disputat.* nostram sub præsidio b. D. PAULI ANTONII Halæ anno 1718. habitam de V. R. C. *Iudeorum obtrectationibus confirmata Sect. I.*

(♂) Reprehensio Dei, post lapsum facta, apprime quadravit ad convincendum hominem, quod gravissime & iniquissime peccaverit, iramque divinam sibi ultro attraxerit, fuitque ista medicinalis. Verba Hebraica c. III, 11. חֲמִידָה שְׂעִיר אֶלְעָזָר צויתך לְבָلְתִי מִמְנִי אֶלְעָזָר rechte si verti possunt: hast du doch gegessen von dem Baum, davon ich dir gebot, du soltest nicht davon essen? Interrogativum etiam Gen. c. IV, 7. deno-

denotat interrogationem cum exprobratione
animi dolentis conjunctam. Majestatis autem est
paucis verbis multa injungere, ut, prudenter medi-
tando ea quæ dicta sunt, eo magis veneremur ma-
jestatem & gratiam dicentis, dum animadvertisimus
Deum pondera loqui. Idem fuit ac si dixisset IE-
HOVAH: nonnete merito pudet, o homo, quod,
neglecto paterno, quod tibi dedi, præcepto ac mo-
nito, persuasionibus & loquacis seductoris, a me
prorsus alieni, mihi que plane & e diametro quasi
adversi ac contrarii, fidem adhibueris? Nonne
aversiones tuæ reprehendent te, ut cognoscas &
videas, quod malum ac amarum sit deserere te IE-
HOVAM, Deum tuum? Cognosces certe ac vi-
debis, te nunc non novisse bonum, quamvis sata-
nas tibi multum boni promiserit; amarus tibi sem-
per erit eus iste, licet tibi, credenti jam dictis ser-
pentis, visa fuerit arbor ista bona in cibum & desirabilis ad dandum intellectum. Non equidem
maledicam tibi, quod serpenti, seductori, facio,
quia tibi benedicitur in semine isto mulieris, victo-
re cacodæmonis: amara autem reddam tibi quæ
jucunda fuissent, nisi *ἄπεισος* tibi dulcedinem ima-
ginatus essem, comedendo de arbore scientia boni
& mali, ut sint velut medicina ad carnis libidinem
reprimendam, & inquinamenta spiritus sananda.
Multiplicando multiplicabo, laborem sexus tui, o
mulier, ut ingratus ac amarus tibi fiat, qui jucun-
dus & gratus fuisset, si non peccasses, certissime
immittam tibi dolores plurimos & maximos, ut
cum

cum multa molestia s^epius vivas extra graviditatem, & pluribus sub ærumnis uterum gestes, cum acerbo denique dolore ac labore anxio parias liberos: ad maritum erit desiderium tuum, ac appetitus, per illum regendus, quamvis ille dominetur tibi, & quidem, postquam corruptus est per peccatum, s^epius satis rigide & despoticē. Intelliges igitur identidem, intelligere saltem poteris, quam noxiū fuerit otium illud quando curiose serpentem auscultasti, quam falsa fuerit voluptas, sub qua concepit in te peccatum, quam fallsum denique & noxiū fuerit illud desiderium ad maritum tuum, cum illi dares de fructu vetito, ut etiam comederet, & eo ipso dominationem haberes in illum. Maledicta, ô marite, erit terra propter te, ita ut cum dolore ac molestia illam colas, illaque hominis alumna cum sollicitudine anxia circa τὰ βιωτικὰ fruaris. Dolor perpetuus vitæ comes in terra erit, & hæc, utcunq; bene culta, non respondebit satis labori, intentioni ac voto, sed loco frugum speratarum proferet spinas ac tribulos, & pullulabunt ex ea fructus voluntarii, & non sativi, at non grati, sed acerbi futuri, infelix lolium & steriles avenæ. Fictas altitudines credidisti quando tibi persuaderi passus es verum esse quod serpens dixit: eritis sicut Deus, sapies autem quando humum in sudore vultus tui, donec redeas in terram, coles. Qui cælum in terra habuisses si præcepto ac monito paterno inhæfisses, habebis in terra molestias, ut recorderis unde ceci-

OBSERVATIONES AD GEN. III, 8. sqq. 31

cecideris. Cum terra nihil ingrati protulisset tibi, si integer mansisses, nunc ingratos & acerbos fructus dabit, ut gratus sapor fructus vetiti tibi amarus identidem fiat. Sic semper habebis quæ te impellant, ut mihi rursus credas, promissum Messiam desideres, & anheles benedictionem, quæ in ipso est, tibique caveas a persuasionibus cunctis, quæ sunt contra præcepta ac monita mea, atque operam des, ut ad imaginem Dei renoveris, sicut salvus sis.

Denique vix dubium mihi est statim post lapsum ortam fuisse tempestatem, atque ventum, imbre, grandinem docuisse quasi inter alia documenta homines quod nudi sint, atque consuisse eos folia siculnea, ut ab aëris injuria corpus tegerent. Vox IEHOVÆ DEI, ambulantis in horto tempore auræ diei, per tonitrua videtur homini terrorem injecisse, ut non absque dolore recordatus fuerit vocis Dei, qua paterne monuerat, ac de non comedendo præceperat. Insuper de voce Dei, quarentis, *Adam ubi es?* egregie IO. GERHARDUS Disp. Isagog. XXIII. c. II. *Ea non fuit*, inquit, *vox ignorantis, sed vox invitantis ad comparendum, vox Patris, quarentis filium, & Medici inquirentis ab agroto vulneris locum, vox increpantis & indicantis Adamum esse in lapsu ac statu non suo, sive concreato, vox reducentis Adæ in memoriam, quantum sit mutatus ab illo statu in quo fuit conditus, unde Chrysostomus in comment. verba illa recte sic*

sic παραΦράζει: „In alio loco te reliqui, in alio
 „te invenio: alia gloria te vestitum reliqui, nunc
 „in nuditate te invenio. LUTHERUS comment.
 in Genes. Summa, inquit, *gratia est quod post*
peccatum Adæ Deus non tacet, sed loquitur, re-
quirit & vocat eum, cum eo disputat, cumque
audit. *Hæc certa gratia significatio est.* Ser-
 pentem Deus non vocavit, non interrogavit de
 admisso peccato, ut ad poenitentiam revocetur,
 sed statim contra eum pronunciavit. vid. IO.
 HENR. MAJI *Oecon. Iudic. Tom. I. c. III. §. 3.*

§. VIII.

Objici posset arbor vitæ, de qua vi oppositi
 etiam dici queat, quod ab eventu, quem Deus
 præviderat, nomen sortita sit. GUIL. SAL-
 DENO objicienti, in illud assertum, quod arbor
 vitæ talem efficaciam ac virtutem habuerit, ut
 Protoplasti, ea utentes, victuri in æternum fuis-
 sent, conspirare auctores, JO. HENR. MAJUS
Theol. Prop. Loc. V. §. 31. respondet: *Quid ve-*
ro? si in commentum eos conspirare dixerimus.
Nondum enim demonstrationes certas eviden-
tesque vidimus hæc tenus. *Allusiones & deno-*
minationes optimarum rerum ex arbore vitæ
petite, nihil huc faciunt: quia denominari pos-
sunt, scribente Schmidio, res optimæ ab arbore vi-
te, non per comparationem in uno tertio com-
muni, sed per oppositionem veri & falsi, e.g. Prov.
III, 18. Sapientia est arbor vita, non falsa aliqua
sive ficta, ut Paradisaica a diabolo dicta est, sed
vera,

vera. Addimus his rationibus, quod non facile silentio involvendum sit illud S. S. silentium, quando non legimus, Deum arborem vitæ exp̄esse præ aliis arboribus horti commendasse, sed potius legimus quod Deus medium horti, tanquam campum temptationis, indicaverit, ut tam ab *arbore vita* quam ab *arbore scientiæ* abstineat homo. vid. Gen. III, 3. *Tantum de fructu arboris, qua in medio horti est, dixit Deus: non comedetis de eo &c.* conf. Gen. II, 9. *arbor vita in medio horti erat.* Videtur satanas in eo multum quæsivisse, quod in medio paradisi, qui academia quædam divina esse debebat, suam quasi cathedram constitueret. Solet ille impostor esse theatalis, ita ut pro impudentia sua occupet insigniora loca, atque sic eo faciliter decipit eos qui theatralem vanitatem & pompam nondum didicerunt despicere; vide Prov. IX, 13. mulierem illam stultam, quæ τῷ Λόγῳ, seu sapientiæ increatæ, opponitur, sedentem in locis excelsis civitatis. Deus pro sapientia sua sæpius in locis minime conspicuis magna opera facit, ut ubique locorum Dominum præsentem veneremur, ipsique confidamus, & localem ac theatralem pompam despiciamus. Salva tamen maneat sententia illorum Theologorum, qui statuunt arborem vitæ habuisse talēm efficaciam ac virtutem, quæ vitam naturalem comedentium ex ea, prolongare potuerit, quam sententiam LUCAS OSIANDER in primis tenuit; & IO. WOLFGANGUS JÆGERUS, theologus

C

quon-

quondam Tubingensis celeberrimus, arborem vitæ pro sacramento primi foederis habendam esse non dubitavit, eo quod signum fuerit immortalitatis, ex quo Adamus colligere potuerit se nunquam mortem subiturum, si in fide & obsequio Dei permaneret, nec nudum signum fuisse, sed etiam vim quandam habuisse, vitam hominis conservandi, *in jure Dei fæderali delineato* qu. V. p. 59. cit. IO. FRANC. BUDDEO, quem omnino confer, *Instit. Theol. Dogm. L. III. c. I. §. 20.*
Quid vero? si dixerimus, Deum prævidisse, serpentem homini esse persuasurum, facere istius arboris esum ad vitam æternam consequendam, si ve, fore, ut perversa hominis mens sibi ipsi illud persuaderet. Non repugnant verba Domini Gen. III, 22. *וְעַתָּה פָּנִישֵׁלְךָ יְדוֹ וּלְקָחֵת גַּם מֵעַצְמָתֶךָ וְאֶכְלֵת וְחַי לְעוֹלָם*

nunc ergo ne emittat manum suam, & sumat esiam (scil. falsa persuasione, uti de arbore scientia sumvit) *de arbore vite* (ficto scopo) *ut vivat in aeternum,* (emittamus eum ehorto).

Dixeris: quod si Deus hoc prævidisset, de non comedendo ex arboре vitæ etiam præcepisset. Resp. Sufficit quod fructu arboris in medio horti homini interdixisset sec. Gen. III, 3. Prævidit etiam Dominus, tentationem, aut falsam persuasione, de arboре vitæ post lapsum demum, & post promissionem Seminis benedicti, esse exstirram, ac salva libertate posse impediri, quo minus even-tum tristem sortiretur. *Damnum ex esuarboris scien-*

Scientia fuit magis superabile, quam si cacodæmon fidem in Semen benedictum, veram & unicam arborem vitæ, homini eripuisse, imprimendo falsam opinionem de arbore vitæ, quod sit medium vitæ & salutis æternæ. Ex gravissimis malis operibus homo facilius emergit ad poenitentiam quam ex præjudiciis & falsis persuasionibus. Simulac igitur Adamus professus erat, se intelligere & credere ex protovangelio, quod in Semine illo mulieris vita sit restituenda (rationem quippe denominationis, qua costam suam vocaverat Chavam, hanc reddiderat, כירחא תורה אם כל־ז'ר, quia futura esset mater omnis viventis, & in specie Ejus qui nat' ἐξοχὴν futurus esset homo vivens conf. Gen. XVI, 14. Apoc. I, 18. Nec incommode forte h. l. applicatur GLASSII Philol. S. Grammat. S. Can. II. quod pro abstracto quandoque concretum ponatur, ita ut Chai idem sit ac Chajim) statim emittebatur ex horto, ne in arbore vita frustra vitam æternam quereret, sed unice illum Chai, ex Chava nasciturum, fide respiceret. Sic itaque Deus satanæ, qui videtur expostulasse, ut homo a se tentaretur (conf. lob. I, 11.) non permisit, ut restitutionem ex statu destitutionis difficiolem redderet, quod omnino factum fuisset, si infirmæ & corruptæ hominis menti per solennem tentationem falsam de restitutione ideam imprimeret licuisset. MART. CHEMNITIUS Exam. Concil. Trid. P. I. 115. Deus, licet non velit, nec adjuvet, nec efficiat peccatum, determinat tamen

metas, quousque & quamdiu sit permisurus,
quando & ubi sit repressurus. IO. GERHARDUS Disp. Isag. XXIII. c. IV. §. 10. DEUS, ait,
in lapsu irritatam a Diabolo concupiscentiam
cohibuit, ne longius progrederetur, & in arbo-
rem quoque vita manum injiceret, sive mor-
bum illum immortalem in nobis conservaret.

Exinde angelus cum flammante gladio accipit
formam, quæ fidem consolatur & docet. Indicat
quippe, quam serio Deus ea, quæ salutem in Christo
impedire possunt arceat, & ostendit, Deum
non tam graviter puniturum esse hominem, si gra-
via peccata, a Diabolo seductus, commisit, quæ-
rat modo media salutis præscripta, quam cum si-
bi concipiatur falsa salutis media, & sub falsis persua-
sionibus secure in peccatis lateat, veraque vita
subsidia, a Deo injuncta, negligat. Observatur
autem ex praxi, satanam, postquam hominem ad
peccatum committendum seduxit, solere falsa so-
latia & remedia commendare. Et uti olim ad com-
edendum impulit hominem, cum Deus de non
comedendo præcepisset: sic quovis modo impedit
quo minus comedant homines, saltem quo minus
salutariter comedant, in Sacra Cœna, de qua Do-
minus præcepit: *comedite &c.* Egregie CHEM-
NITIUS Harmon. Evang. c. XIX. in historiam
Christi in deserto a diabolo tentati, *Satan*, ait, *fidem*
nostram a promissione fæderis-conatur abducere,
ut de ea vel dubitantes, vel omnino desperantes,
*& Deo deficiamus, & aliis modis, quam per ver-
bum*

bum Dei conceditur, rebus nostris consulamus. Et hac quidem tentatione multorum fidem satan subvertit. CATECHISMUS Maj. in L. 5. p. m. 530. Diabolus, carni & mundo succenturiatus, pricipue in his perturbandis est occupatus, que ad conscientiam & spiritualia negotia pertinent, nimirum ut ex aequo & Verbum & opera Dei ventis & aurae quid dicitur, committamus & contemnamus, ut a fide & charitate nos avel lat, & in superstitionem, pravam nostri fiduci am, & cordis indurationem, aut in extremam desperationem, & Dei abnegationem & execrationem, aliaque innumera & detestanda piacula nos precipitet. p. 532. si tuis cogitationibus & proprio consilio tibi opem ferre annis sus fueris: rem malam tantum deteriorem facies, ac diabolo majorem te impugnandi occasionem prebebis.

§. IX.

Consectaria sententiae nostræ & usus, qui inde in Theologiam fluunt nunc exponemus. Primus usus didascalicus est, quod caritas Dei in eo prædicitur, & omnis peccati caussa atque culpa a Deo removeatur, quando sistitur tanquam amantissimus pater, qui filio severe quidem præcipit, & eo ipso jus suum ac dominium etiam exercet, sed præcipiendo quam maxime probat, se nihil aliud velle quam ingens damnum avertere.

Quod si igitur Deus peramanter & severe simul homini peccato interdixit, ut damnum inde oriundum, quod prævidebat, præcaveret, tum cer-

38 PRIMUS USUS DIDASCALICUS.

„te causa peccati non est & noluit & que pecca-
 tum ac damnum, ex peccato fluens. Atqui
 „verum est prius, ut supra dicta probant, Ergo
 „& posterius., Probatur hoc argumentum ex se-
 quentibus quoque. (a) Deus non suggesit occa-
 sionem ad peccandum, quippe precepto legis & an-
 nexae comminationis, ac prædictionis tristissimi
 eventus, non tam irritare quam informare men-
 tem hominis, tum nihil somnis mali habentem,
 dignatus est Pater. Vid. B. Abbatis JOACH. JUS-
 TIBRE I THAUPPI Institut. Theol. 4to Loc. II. c.
 III. p. 350. Accedit quod paterna interdicta, licet
 non expresse promissionem addant, obedientiæ
 filiorum majorem amorem & gratiam pollicentur.
 Et maxime improbandi sunt merito suo ei,
 qui ex Schola *socini* prodierunt, qui nihil omnino
 Deum primis parentibus promisso somniant,
 (conf. *f. XII. n. 6.*) nec favorem meretur eorum
 opinio, qui non ampliorem beatitudinis gradum,
 sed vitam saltem perpetuam, in paradyso peragen-
 dam, protoplastis promissam fuisse sibi persuadere
 satagunt. Omnia omnino bona & dona, quæ ex
 immenso amore & gratia infinita Patris cælestis flu-
 unt eo magis habuisset homo, quo magis gratiæ
 & amoris in ordine obsequii filialis fuisset capax:
 maxime igitur promissio æternæ vitæ & gloriæ,
 implicite saltem, fuit comprehensa in interdicto
 illo, tanquam oppositum mortis æternæ, quam in
 comminatione & prædictione illa, מורת חנויות, mor-
 te morieris, contineri extra dubitationem posi-
 tum est. Nec

Nec consistere potest cum paterno & severo affectu, quem in lege de non comedendo statuimus⁹ distinctio inter voluntatem *signi & externam*, ac *beneplaciti & internam*. Si dixeris: cur Deus non exposuit rationem, quare interdixerit arbore ista? Resp. sufficit ratio ista: *nam morte morieris*. Nonne crederet simpliciter filius patri commonenti, de quo nihil aliud præsumere potest, quam quod graves caussas habeat, ob quas moneat, & quod bono animo hortetur? Et quid facilius deterrere potuisset ab arbore quam periculum mortis? nam quis tam temerarius facile est, nisi vecors, qui experiri vellet, an mortem afferat, de quo ex viro sagacissimo & optimo audivit, quod mortiferum sit? Ut Dōminus exposuisset omnes circumstan- tias, quibus satan ipsis mortem sit illatus penes arborem istam, non opus fuit: (1) quia non absque perfecto rationis usu, similes pene infantibus, (quod somnium Iud. supra indicavimus, & eo ipso refutavimus) sed cum integras sapientia creati fuerunt primi parentes: (2) quia in eo sita est vera sapientia & filialis obedientia, quando verbo Dei simplicissime inhæret homo, nec latum unguem ab illo recedit: (3) si fusius omnia exposuisset Deus eo major fuisset reatus hominis, cum, non attenta tam clara præmonitione, ex abusu liberi arbitrii peccasset. Nec *præscientia Dei*, necessitatem infert aut occasionem ad peccandum, nec *permis- sio Dei*. *Necessario lapsus est Adam*, scribit IO. GER- HARDUS Disp. Isag. XXIII. c. IV. §. 10. *necesi-*

C 4 tate

*sæte consequentia, non consequentis; hypothetica,
non absoluta; respectu Dei prævidentis, non de-
cernentis, aut impellentis.* Permisit Deus homi-
nem tentari, non autem cacodæmonem ad ten-
tandum impulit: permisit hominem tentari, non
ut laberetur, sed ut vires suas concreatas exerce-
ret, fideliores se præstaret lapsis angelis, obsequi-
um filiale demonstraret, atque sic in bono confir-
maretur, paterno Creatoris amore eo largius frue-
retur, & coronam gloriæ consequeretur. Nec
decretum redemptionis & æterna medicinæ præpa-
ratio subministravit occasionem ad peccandum,
nisi ex Deo velimus crudelē facere patrem, qui
faciat filium misere labi, ut paternis amplexibus
eum possit erigere & consolari. AUGUSTINUS
*Confess. l. III. c. 2. Malevolæ, inquit, est benevolen-
tia. si quis velit aliquem esse miserum, ut ejus pos-
sit misereri.* In Ps. 125. Melius est, ut nullus sit
miser, quam ut tu facias misericordiam, qui enim
ut faciat misericordiam, optat esse miseros, cru-
delē habet misericordiam, quo modo si medicus,
ut exerceret artem suam, optaret multos esse æ-
grotos, crudelis medicina foret. Et vice versa ju-
stitia justi non erit, si quis puniendum reum non
invenisse, sed fecisse dicatur, ut habet Fulgent. l.
I. ad Mon.

Ex his omnibus denique apparet, quod non con-
gruat, Deum vocare caussam peccati per accidens,
sed quod rectius absolute negetur, Deum esse cau-
sam peccati. (3) *Deus non suggessit potentiam*
ad

ad peccandum. Peccatum enim primorum parentum non fuit tam externa fructus vetiti comestio ex intemperantia orta, quam potius & primario aversio a Deo, summo Bono, & conversio inordinata ad apparenſ in creaturis bonum per transgressionem divini præcepti, ſive inobedientia interna ſimul & externa, id quod Apostolus teſtatur Rom. V, 19. ubi τὴν παρανοήν opponit ὑπάκουην, non Diabolo debitam, ſed Deo, quam Christus præſtitit, cui reſpondet apud regenitos ὑπάκουην τῆς πίστεως Rom. I, 5. Definitur peccatum I. Joh. III, 4. η αἱμαργία ἐστὶ η ἀνομία, peccatum eſt aberratio a lege, ſeu defectus conformitatis, qua actiones animi ac corporis divinæ voluntati, i. e. legi patefactæ, reſpondere debent. vid. b. Abb. BREITHAUPTII Inst. Loc. II. c. II. p. 257. ubi etiam de moſtratur peccatum non habere formam proprie, ut nec cauſam efficientem, ſed potius defiſcentem ſecundum AUGUSTINUM. Duplici nimirum ratione peccatum conſiderandum eſt, vel abſtractive vel concretive. Priori modo ſpectatum, denotat defectum conformitatis cum lege divina, adeoque recte privatio eſſe cenſetur: posteriori modo ſubjectum, cui privatio illa inhæret, & defectus ac habitus, ex defectu ve ri boni ortos, complectitur. Peccatum ratione formalis ſui, ſeu abſtractive conſideratum, per cauſam efficientem physicam, ejusque positivum influxum, aut potentiam ſubministratam, produci non potest, quia eſt mera privatio. Ad inobe dien-

dientiam igitur internam primorum hominum nulla potentia, a Deo præbenda, opus erat: ad actionem inobedientiæ externam ratione *entitatis positivæ* Deus concurrebat quidem, ut cauſsa universalis, alias per miraculum manum & oculos retrahere ac infirmare debuisset, & tamen inobedientia interna mansisset; ratione tamen *peccaminositatis*, illi actioni adhærentis, potentiam suggerisse dici nequit. In scholis sic etiam docent: Deus concurrebat ad *materiale* peccati, i. e. ad actum physicum, quando e. c. manum extendebat homo, non autem ad *formale* i. e. *āraξiav*, seu determinationem ad malum. Respectu cogitationum hoc modo etiam distingui potest: ad *motu physicos* enim, quando homo ideas concipit, componit & judicat, concurrit Deus secundum leges generales, secundum quas ad omnia physica concurrere vult, non autem concurrit ad determinationem motuum animi physicorum ad malum. Ad *formale* peccati Deus non aliter concurrit quam prohibendo, redarguendo conscientiam, puniendo, atque sic sub ipso actu peccaminoso sèpissime demonstrat, se minime esse cauſam peccati. Adeoque nec *cauſa physica* peccati dici potest Deus, quia peccatum, ratione formalis, non habet cauſam efficientem physicam: nec *cauſa moralis* est, cum nec directe nec indirecte illud intendat, sed prohibeat & puniat. conf. IO. FRANC. BUDDEI *Instit. Dogm. L. III. c. II. §. IX.* p. 593. f. Præterea huc pertinet observatio illa ex

B.

B. BREITH. *Instit.* p. 259. „Quia Pontificii, inquit, disputabant peccatum meram esse donum supernaturale, iustitiae originalis, privatio nem; ipsamque naturam in se talem permanisse, qualis ab initio fuit condita: hinc factum, ut ad errorem istum scholasticum fortius refutandum, Theologi nostri terminum positivi assumerint: ideoque per istum duntaxat indicant, peccatum non modo abstulisse iustitiam, sed simul corrupisse naturam, adeo ut τὰ Φυσικὰ non permanerint integra & illesa. Hanc igitur corruptionem & depravationem naturae, a seipso distinctam, termino positivæ qualitatis unice notatam volvère; dicto sensu nominantes pravam concupiscentiam, qualitatem positivam: non vero, quasi aliqua vis agendi in homine in se & per se peccatum esset. vid. Declaratio Jenens, Germ. de a. 1676. p. 216. &c.

Ordinationes & præmonitiones patris familias prudentis sunt ordo in domo & salus liberorum ac famulitii: earum vero transgressio est destructio & confusio ordinis & salutis familiæ. Multo magis lex divina, homini partim innata, partim indicta, fuit ordo in homine & omnibus quibus ille præterat, fuit salus hominis: privatio autem ejus, seu transgressio, est horribilis destructio operis, & conturbatio seu confusio ordinis divini, Deo abominabilis, homini exitialis. Perpetram igitur objiceretur, quod amori paterno, quem in præcepto de non comedendo maxime conspiuum

eum dicimus, aduersetur executio comminatio-
 nis, morte morieris. Nonne enim lapsus fuit pri-
 vatio omnis ordinis & omnium perfectionum,
 quibus imago Dei omnes potentias hominis per-
 ficiebat? quando autem interiit rectitudo non
 potuit non succedere confusio & pravitas contra
 omnem legem & voluntatem Dei, haec vero in-
 ter Deum justissimum sanctissimumque, atque in-
 ter hominem, divisit Jes. LIX, 2. & separatio a
 Fonte vitae non potuit non mortem inducere, &
 quidem eternam quoque, quatenus justitia Dei
 non potest non eternum irasci illis qui in sepa-
 ratione a vivo fonte persistunt & sic contra Deum
 animati sunt. Non incommodate hoc referimus
 quae habet vener. IO. GUSTAV. REINBECK
 de redēmptione p. 109. Cum Deus, in-
 quid, ipse amor sit, & per consequens omnia ejus
 attributa in amore quasi ad unitatem simpli-
 cissimam redigantur; certum est, amorem divi-
 num per attributa respectiva ita manifestari,
 ut Deus plane nullam actionem perficiat, ubi non
 patercit ipsis amoris indoles. Ergone, inquis,
 Deus etiam amorem suum manifestat, quando
 exercet justitiam vindicativam maxime: Amor
 enim, quoad essentialis est, actum justitiae vim-
 dicative aequo producit, atque actum misericor-
 die. Ubi scilicet ostendit Deus, se non amare
 iniquitatem, sed justitiam, amoremque suum
 non esse ludicum, fatuum & quasi meretricium,
 sed ordinatum: hic autem palam facit eundem
 non esse Stoicum, sed tenerimum.

Amor

Amor autem salva justitia admirando sane modo se manifestat in eo quando Pater per Filium unigenitum, ex muliere natum, lapsos homines restituit, in paternos amplexus recipit, & hæredes ac cohæredes Filii sui facit, ita ut in Christo majorem justitiam & beatitudinem consequantur quam in Adamo amiserunt. Proinde stultum esset optare: utinam Deus humanam Protoplasmaturam abolevisset, aliosque homines creavisset! Quod si enim hæc, quam habemus ex Adamo & Eva, natura desissem, nemo nostrum existeret, aut vitæ atque salutis, quæ in Christo est, particeps fieret. Præterea id maxime repugnasset amori & justitiæ Dei quando universum nostrum genus humanum abolevisset, cum tamen amor ejus salva justitia exerceri potuisset. Præterea illa *mutabilitas*, sive *labilitas* in homine a Deo profecta non est, sed potius ex creaturæ imperfectione, sive ex ejus *nihilo*, originem habet. Neque Deus ulla ratione obligatus fuit, ut omnes imperfectiones, naturali conditioni creaturæ, sive hominis, adhærentes tolleret, & ipsum in bono confirmaret: quippe familiare Deo est, ordinem in rebus suis servare, & per gradus ad apicem progredi. Hoc quoque est sapientis, justi & ordinati amoris. vid. IO. WOLFG. LÆGERI *Syst. Theol. Dogm. Polem.* L. I. p. 323. Dixeris: cur Deus ex nihilo fecit hominem? Respondeo, quis es, homo, ut abyssos Dei rimari satagas? Non angelus sed homo esse debebat & terrenis præesse,

esse, tanquam mundus brevis, qui existat cum lapidibus, vivat cum plantis, sentiat cum bestiis, intelligat cum angelis, ut significanter
GUIL. SALDENUS L. II. Exercit. II. p. 219. hominem descripsit.

Illis denique qui obmurmurant: cur Deus peccandi facultatem homini non eripuit? respondeat **BASILIUS l. 1. p. 429. Homil.** *Quod Deus non autor mali. Cur, inquit, non habuimus, ut peccare non possemus, ita ut ne volentibus quidem contingere, ut peccaremus?* *Quoniam, inquam, & tu servos, non quando vincos in custodia retines, benevolos esse tibi existimas; sed, cum sponte omnia, quae erga te oportet, videris agere.* *Sic item Deo cumputa fore amicum, non qui coactus, sed qui sponte sua virtuteque illi optemperat.* *Virtus vero ex voluntate perficitur, non ex necessitate.* *Voluntas autem ab illis pendet, quae in nobis sunt sita.* *Quod vero in nobis est, voluntarium & spontaneum est.* *Qui ergo Factorem reprehendit, quod non tales nos natura fecit, qui peccare nequeamus; nihil aliud opinari videtur, quam, naturam ratione carentem, ea, quae rationis est particeps, esse potiorem:* *& illa quae non moventur, nec mente ducuntur, iis, quae eligunt, judicant, conferunt, omnino praestare.* *Hac et si per transitum, attamen non ab re, dicuntur: ne in profundum inanum cogitationum ruens, praterquam quod, quae inquiris, non assequeris, Deum etiam amit-*

TAS,

tas. *Desinamus ergo, eum, qui sapiens est, velle corrigere. Desinamus, inquam, meliora, quam Deus fecerit, indagare.* Præterea amor Dei purissimus, & justitia, quæ in amore, aut cum illo arctissime conjuncta est, requirunt, ut homo, quem Deus sanctissime amat, sancto Dei amore repletus per fidem, ex suavi impulsu amoris legem & voluntatem Dei faciat; & in amoris ac spontaneæ obedientiæ nexus cum Deo, animi tranquillitas & salus hominis consistunt, atque sic caritas est legis impletio. Caritas etiam Dei aeterna, quæ ex passiva fluit, nunc post lapsum omnes miseras hujus vitæ reddit medicinales & salutares. Utinam id unice semper intenderemus, ut corda nostra per fidem dilectione Dei replerentur magis atque magis, & ex instinctu amoris ageremus! tum quoque dilectio legem, & omnem voluntatem Domini libenter facere urgeret, & omnem murmurationem adversus eum reprimere, omnemque caussam peccati & culpam a Deo removeret. Ubi dilectio Dei est, quæ servat Illius mandata, & cui mandata Illius gravia non sunt, ubi fides est victoria, quæ vicit mundum, 1. Joh. V. 3. 4. ibi metiri licet, (verba sunt AUGUSTINI de C. D. XIV, 15.) quanta fuerit in peccando iniquitas, ubi tanta erat non peccandi facilitas, præsertim ubi nondum voluntati cupiditas resistebat, quod de pena transgressionis postea subsecutum est.

§. X.

Alter usus didascalicus est, quod *ἀπίστα* eo magis tanquam primum proprium peccati initium, adeoque diabolicum semen omnium peccatorum, conspiciatur, quando Deus dicitur non solum præcepisse de non comedendo, sed quam maxime præmonuisse etiam hominem paterne, atque sic appareat eo magis quam abominabilis fuerit lapsus. Quid aliter egit satanas quam ut hominem eo perduceret, ut is Deo diffideret & plane non crederet, contra autem serpenti consideret plenamque fidem haberet? *Dixit quippe serpens ad mulierem: non moriendo moriemini.* *Quia* novit Deus, quod quo die comederitis de eo fructu, aperientur oculi vestri: tumque eritis sicut Deus, scientes bonum & malum. Gen. III, 4. 5. Nonne autem homo, dum neglexit Dei præceptum, præmonitionem & prædictionem, fecitque quæ facere non debebat, a serpente persuasus, ita egit quia fidem Deo denegavit, & *ἀπίστος* factus est, cacodæmoni autem fidem habuit? „Quicun- „que prædictionem & præmonitionem alicujus „neglit, secundum contrariam autem alterius „persuasionem facit, is certe ideo ita agit, quia „non habet fidem præmonenti, sed potius contra- „rium persuadenti ac primum & maxime peccat „*ἀπίστα*. Atqui homo præmonitione Dei & præ- „dictione: quo die comedes de ea arbore, morien- „do morieris post habitis, credidit verbis satanæ: „non moriendo moriemini &c. „ Ergo peccavit „primum & maxime τῇ *ἀπίστᾳ*.

Quod

Quod si tanquam merum præceptum Legislatoris verba illa: *non comedes de arbore &c.* & verba illa: *morte morieris*, ceu mera comminatio considerentur, perversa mens subdole semper sibi persuadet, peccatum primi hominis excusari posse, quia non obvia fuerit ratio, cur Deus ista arbore ei interdixerit, & cur ob eum iesu fructus morte puniendus sit. Quid? corrupta ratio existimat, prudentis fuisse, experiri qua ratione iesus iste prohiberi potuerit. Quod si vero verba illa: *non comedes &c.* tanquam præceptum Patris præcaventis & providentis, verba autem: *morte morieris*, tanquam prædictio de futuro eventu tristissimo, quæ comminationem justissimam pro *axis* includat, accipiantur, tum certe non habet tot effugia caro, sed ratio potius in conscientia dictitat, debuisse hominem verbis Patris sapientissimi, amantissimi ac fidelissimi, Dei, qui ipsa veritas, ipse Amor, ipsa Sapientia non potest non esse, & quem in concreata luce satis sufficienter cognovit, cujusque amorem tum temporis maxime, pleno quasi ore, percepit, inhærere firmiter & simpli-citer, nec non iniquissimum fuisse, & detestandum placulum, quod serpentis persuasionibus & calumniis fidem adhibuerit, neglecto paternæ caritatis præcepto ac monito. *Quid facilius erat,* inquit IO. HENR. MAJUS *Theol. Jud. L. VII. de pecc.* §. 8. p. 108. *unius arboris usu esque abstinere, cum totus paradiſus concessus protoplastis fuerit?* *Quid levius?* *quid incogitantius*

D

quam

quam pro vita mortem, pro scientia ignorantiam appetere & accersere? Addimus: quid incogitantius? quid turpius quam Optimo Maximo suo Creatori, summo Bono, diffidere, & serpenti confidere? Dubitationem de verbo Dei, seu, ut LUTHERUS loquitur, incredulitatem, primum omnium extitisse actum vitiosum, reliquorum principium & fontem, in lapsu, quamvis hic transgressio totius legis fuerit, defendit IO. GERHARDUS Disp. Isag. XXIII. c. VI. contra Scholasticos & Bellarminum ac Cornel. a Lapide, pro suberbia dimitantes. Placent quæ IO. FRANC. BUDDEUS in Hist. Eccl. V. T. Per. I. sect. I. §. 22. scripsit: *Per inconsideratum Eve cum serpente colloquium primus ad lapsum gradus struebatur, vel occasio potius suppedit abatur, tum sequebatur incredulitas, seu fides verbo divino denegata, primum proprio peccati initium, hinc voluntatis a Deo ad seipsum conversio, seu philantia inordinata, per superbiam, seu cupiditatem consequendi similitudinem cum Deo, se exerens, tandemque in actum externum per fructus vetiti considerationem, cum adpetitu inordinato jam conjunctam, comedionemque, erumpens. Cum itaque primum hominum peccatum nonnulli in incredulitate, alii in philantia inordinata, in superbia alii, alii denique in fructus vetiti comedione constituant, hi neutquam inter se pugnare censendi sunt, cum certo modo omnia ista peccata, uti ex dictis constat, hic concurrerint.*

Recte.

Recteque AUGUSTINUS pronuntiavit. posse intelligi plura peccata in transgressione Adæ, si in sua quasi membra dividatur, enchirid. ad Laurent. c. XLV. Hoc probe tenendum semper est, primum propriæ peccati initium esse incredulitatem, hanc autem, tanquam gravidam & foecundam matricem, omnia alia peccata complesti. Cacodæmon adhuc ordinem illum temptationis observat, ut primum sollicitet hominem ad dubitationem de verbo Dei, postea illud prorsus impudentissime neget, atque sic ad superbiam aliaque innumera & detestanda piacula seducat. Qui serpenti antiquo cedit in eo, ut dubitando de verbo Dei, carpendo, vellicando delectetur, atque ex se ipso petulanter effingat scrupulos, uti aranea telas, is in deterius & labyrinthos magis magisque præcipitatur & ruit. Novum Testamentum, quando salutis ordinem proponit, ἀπιστίαν, tanquam peccatum primum omnium debellandum sistit. Quid? Salvator noster merentissimus vocat τὸν non credere peccatum κατ' ἔξοχην, & hoc peccatum facit objectum primum elenchi Spiritus Sancti, Ioh. XVI, 8. 9. & incredulitati, tanquam scaturiginis & confluvio omnium peccatorum, culpam damnationis tribuit Marc. XVI, 16. Finimus hanc de incredulitate tractationem Evangelica adhortatione MACARI Op. de Patientia c. XIX. Si vis redire ad te ipsum, homo, & quam prius habebas gloriam resumere, quæ tibi ob obedientiam perii; sicut neglectis prius Dei

D 2

MAN-

mandatis, hostis & praeceptis & consiliis atten-
disti; sic nunc ab hoc deficiens, cui obtempera-
visti, convertere ad Dominum c. XXVII. Propte-
re ea fide nobis in primis opus; patientiaque &
attentione; generoso quoque in certaminibus
animo; ac praeterea fame ac siti bonitatis,
simul cum multa prudentia & discrezione;
quin & acrimonia & impudentia (averterea)
in petendo.

S. XI.

Tertius usus didascalicus est, quod ratio, cum
agnoscat incredulitatis iniquitatem, non possit
non statuere fidei necessitatem, & admirari ac ve-
nerari ordinem salutis, quod per fidem restituendu-
mus. Admirabile sane quam justitiae & gra-
tiae, benignitatis & severitatis, IEHOVÆ tempe-
ramentum est in eo, quando obedientia Filii Dei
perfectissima imputatur fidei, & fides, viribus e
plenitudine Christi haustis, amore Dei repleta, le-
gi divinæ obtemperat, & omni verbo Dei & Do-
mini nostri simpliciter credit, posthabitatis ratioci-
niis extra & intra nos, ac destruendo omnem al-
titudinem, quæ se extollit contra cognitionem
Dei, captivandoque omnem sensum in obedien-
tiam Christi (2. Cor. X. 5.)

Refutatur etiam Epicurea opinio de fide ex no-
stra tractatione: quando enim incredulitas in aver-
sione, & affectatione independentiae a Deo, nec
non in conversione ad apparens bonum in crea-
turis per transgressionem legis divinæ se manife-
stavit;

stavit: nulla certe est fides quæ non in aversione
a creaturis & conversione ad Deum, tanquam
unicum & summum suum Bonum, per spontaneam &
fiducialem dependentiam a Deo, ac novam obedientiam, se manifestat. Hanc refutatio-
nem valde necessariam esse solide & false LIBRI
SYMB. in solidâ declaratiōne p. m. 702. condon-
cere possunt, quando scribunt: *Multi fidem mor-
tuam aut persuasionem quandam vanam, quæ
sine pénitentia & bonis operibus est, pro vera
fide falso habent, quasi scilicet in uno eodemque
corde simul stare possint vera fides & malum pro-
positum in peccatis perseverandi & progrediend-
i; quod tamen prorsus est impossibile: aut
quasi aliquis veram fidem, justitiam & salutem
habere ac retinere valeat, etiamsi arbor putri-
da & infrugifera sit maneatque, neque ullos bo-
nos fructus ferat; immo quamvis in peccatis
contra conscientiam perseveret, aut rursus de-
stinata malitia in scelerapriora relabatur. Hec
falsa & impia sunt.*

De potentia credendi, qualē Adamus habue-
rit in statu integritatis, jam non vacat disquirere. Sufficit nobis scire, non repugnantibus magni no-
minis Theologis, Adamum habuisse generalem
potentiam credendi omni verbo Dei, & quam-
diu credidit actu V.D. eum sanctum, justum ac
beatum fuisse, adeoque non negari posse, fidem
etiam in foedere operum fuisse necessariam ad sa-
lutem, licet se non exeruerit circa objēctum quod

D 3

nunc

nunc in foedere gratiæ habet, nempe Mediatorem,
Iesum Christum, ejusque meritum & satisfactio-
nem, nec per modum fiduciæ se exeruerit. Quo-
modo autem in foedere gratiæ fides circa obje-
ctum suum proprium versari debeat egregie in
compendio expositum legimus in IO. ARNDII
Ver. Christ. l. III. c. I. Si dicas & credas Christum
esse tuam justitiam, vitam & beatitudinem,
etsi recte te sentire non insciabor, illud tamen
juxta tibi curandum monebo, ut Christum in te
habeas, hoc est, ab intra per fidem illum appre-
hendas, tuumque facias quoad personam & offi-
cium . . . thesaurum intrate, non extra te habere
oportet juxta illud Christi Luc. XVII, 21. ecce
regnum Dei intra vos est, h. e. justitia, pax & gau-
dium. Si credas, Christum esse aeternum Patris
Verbum, veramque Lucem & vitam hominum,
etsi recte credis, frustra tamen ea fides est, nisi
hoc verbum in te loquatur, hac lux in te luceat,
hac denique vita in te vivat. Nam intus &
in animo hunc thesaurum habere, & cum Chri-
sto per fidem uniri oportet, aut cetera vanasunt
omnia. Probe igitur exponendum est qualis
notitia, assensus & fiducia sit fides, nec sufficiat
nobis si dixerimus, fidem tribus partibus absolvi.
B. LUTHERUS Tom. IV. Ien. Lat. fol. 116. no-
titiam fidei appellat *pertinacissimum Christi in-
tuitum*. Hic salutaris intuitus oppositus est illi,
cum Eva intueretur atborem prohibitam sub fal-
sanotitia, quam ex serpentis persuasionibus con-
cep-

ceperat. LIB. SYMB. p. 68. *Fides, quae justificat, non est tantum notitia historiae, sed est assentiri promissioni Dei, qua gratis propter Christum offertur remissio peccatorum & justificatio: Et ne quis suspicetur, tantum notitiam esse, addemus amplius, est velle & accipere oblatam promissionem remissionis peccatorum & justificationem.* CARPZOVIUS in Isagog. p. 1297. *Fides, inquit, non solum notitiam & assensum, sed etiam ipsam fiduciam includit, ita ut in ea deprehendatur (1) desiderium meriti Christi, quatenus bonum, jucundum & utile, atque bonum Morale est, legi pro nobis praestitum: (2) apprehensio meriti Christi, ut rei desiderata, & ad justitiam credenti imputabilis: (3) quies, & acquiescentia in bono oblato & actu apprehenso.* Eva volebat & desiderabat fructum, quem intuebatur, tanquam bonum, jucundum quid & utile, quamvis bonum illud non esset Morale, sed legi Dei, e diametro quasi, adversaretur: fructum accipiebat & apprehendebat, tanquam appetibilem & ad dandum intellectum desiderabilem; acquiescebat denique in fructu, a diabolo oblato & commendato, atque actu apprehenso, comedendo de illo: Quemadmodum vero *incredulitas* statim fuit operosa per dilectionem corruptam & perversam, quando Eva Adamo dedit, ut etiam comedereret: sic vera fides non potest non esse operans per dilectionem puram atque non fucatam secundum Gal. V, 6. Vera fides induit justitiam Christi, &

In isto gloriosissimo ornatu nullam accusationem satanæ expavescit, nulloque modo erubescit, sed consistit coram judicio Dei intrepida in Christo; Incredulitatem sub ficalneis folijs puduit, ita ut exclamaret Adamus: *timui mihi, ideo quod nudus sim & occultavi me.* Gen. iii, 10.

Postremo ex hac fide, inquit CHEMNITIUS Loc. Th. p. m. 270. sequitur parrhesia, quæ habet accessum ad Deum, Eph. III. 12. pax conscientiæ. Rom. V, 1. gaudium Spiritus, Rom. XIV, 17. Ex incredulitate illa sequebatur metus cum pudore conjunctus, qui fugiebat, quantum in ipso erat, e conspectu Dei, sequebantur terror & pavor conscientiæ, auditæ voce Dei, confusio & perturbatio mentis,

Huc denique referimus illud CHRYSOST. de interdict. Arb. Serm. cit. ANDR. MUSCULO in Comp. Doctr. Christ. de Pecc. III. Deceptum Adam & diaboli fraudibus circumventum, clementissimus liberat Deus, ut per Christum credendo acciperet, quod per diabolum contemnendo amiserat. Et quibus modis mors in seculum venerat, iisdem modis vita seculo proveniret. Lignum enim per Adam operatum est mortem, lignum per Christum operatum est vitam. ibidem: Per Adam & Christum, per Ewam & Mariam, per serpentem & Angelum. (adde; per incredulitatem & fidem) Mors per Adam, vita per Christum; Ewam serpens seduxit, Maria Gabrieli consensit. Sed seductio Ewæ attulit mortem,

tem, *Consensus Mariae peperit a seculo Salvatorem.* Restauratur per Mariam, quod per Evam perierat, per Christum redimitur, quod per Adam fuerat captivatum, per Gabrielem promittitur, quod per Diabolum fuerat desperatum.

§. XII.

Usus Elenchticus nostræ sententia ferit

(a) *Pelagianorum & Manicheorum, nec non Pseudophilosophorum, otiosas & malitiosas de ortu mali quæstiones; hæc enim eo facilius expedituntur, quo clarius bonitas & amor Dei ex ipso præcepto de non comedendo ex arbore scientiæ demonstratur, Deusque sistitur, primum amantissime providens & sollicite præcavens, ne homo laberetur, postea lapsum hominem confessim querens, corrigens, eique medicum & medicinam offerens, fallaque & ficta vitæ media præcludens, & poenas tales denuncians, quæ beneficii loco etiam habendæ sunt, siquidem compelle esse possunt, ut abnegemus amorem rerum terrestrium, & omne peccatum, ac ad Deum & Dominum nostrum convertamur. Sic igitur argumentamur;*

„Si Deus est summe bonus, amantissimus, fidelissimus, sequitur, quod impia, iniqua erga Deum, blasphema & horribilis plane sit eorum opinio, qui omnem malorum originem in ipso DEO (turpe dictu!) querunt. Consequentia majoris est plana & clara. Minorem ex paterna præmonitione & interdicto severissimo, nec non ex actionibus Dei cum homine post lapsum, supra

D^r 5

pro-

probavimus. Probant eandem ipsi adversarii, quatenus per contrariam suam opinionem se absurdos faciunt: nam qui Deum aut autorem, aut caussam peccati dicunt, præterquam quod impie agant, statuunt aliquid quod apertam contradictionem involvit, & nullum sensum habet. Deus enim aut voluit, aut noluit peccatum. Si *noluit*, tum certe serio noluit, adeoque non est caussa, nedum auctor, peccati, sed præmonitio ejus fuit amantissima, & sapientissima, & fidelissima, accommodata tamen ad hominem, qui habebat liberum arbitrium. Si *voluit* peccatum, tum præceptum de non comedendo fuit inutile, simulatum & repugnans bonitati, sanctitati, veritati ac amori Dei. At vero Deus, qui aut amantissimus & fidelissimus non est, aut non summe bonus, sanctus, verax, revera Deus non est.

Argumentamur porro: „Si homo potuit præmoneri, sequitur, quod in materia mala, aut in „nexu rerum, sive sapientem illum dixeris, sivefa- „talis necessitatis, aut in diabolo solo, origo mali non „sit quærenda. Quod si ex materia mala, aut ex dia- bolo solo, aut ex nexu quodam rerum, malum esset ortum, tunc fucata, adeoque Deo indigna, fuisset cautio & præmonitio; ac præceptum de non comedendo aut plane est negandum una cum S.S. auctoritate, id quod horrendum æque ac absurdum, ita ut contra negantem principia non sit disputandum, aut pro forma, quod ajunt, illud datum esse, evincendum est. conf. Jac. I, 16. 17.

Illu-

Illustre est testimonium, quod EPIPHANIUS Hæresi LXVI. perhibet, id quod etiam in *Disp. Hall. de Ortu Mali* p. 38. legitur: *Deus pro singulari sua bonitate existere vult omnia* (*Sap. 1. 14.*) *bonaque sua omnibus in commune proponit. ex concessione tamen liberi arbitrii privatim id permittit sua ut voluntate utens, quicquid voluerit efficiat quisque.* Ut & ipse ab omni malorum culpa sit immunis, & discriminem aliquod statuatur eorum, qui in virtute proficiunt, atque ab humanitate bonitateque sua præmia reportant.

Ibid. Neque enim unquam malum erat, neque radix malitiei fuit, neque ἐντέσαλον (in essentia) est malum, quia aliquando non fuit, verum inductitum per occasionem unicuique facienti malum inest: In non faciente vero non inest -- Etenim Dominus, cum universa creasset, ecce, inquit, valde sunt bona omnia, quo istud ipsum ostenderet, malum non esse vetus (*εἰς αἴραι*) neque initio, priusquam ab homine inciperet, extitisse (videlicet in hominibus). Per nos enim fit, & per nos non fit. Ubi igitur malii radix est, aut ipsa substantia pravitatis?

(B) Agit nostra meditatio elenchtice contra illud Socinianorum & Episcopii, inter Arminianos facile quandam principis, figmentum, quasi Deus Adamo tantum minas dederit, & lege sua ostendere voluerit, se plane nihil homini, tanquam creaturæ, debere, sed omnium rerum esse absolu-

lutis.

lutissimum Dominum; vide allegata ex *Volkelio*
& *Episcopio* in IO. WOLFG. JÆGERI *System.*
Theol. Dogm. Polem. L. I. p. 281. sqq. Fingunt illi
hominem, qui, simulac e manu Domini prodiit,
statim sine spe vixit, & cum desperatione, tristissi-
mo malo, conflictatus fuit; & eo ipso lapsus cul-
pa in Deum transfertur. Nos constituimus ho-
minem primum in suavissimo vinculo cum Deo,
& in foedere, non minus Majestati divinæ digno,
quam homini necessario & salutari, in quo Deus
hominem conservare voluit, non tamen coacte,
sed salvo libero arbitrio. Si Deus, paterne non mi-
nus quam severe, præcavere voluit, ne homo mor-
te moreretur, sequitur, quod prius omnem vitam
ipsi concesserit. Ista comminatio & prædictio
mortis præsupponit & includit promissionem
omnis vitæ: Nam qui omni morte moritur, quan-
do negligit præceptum & paternam præmonitio-
nem, is certe omnem vitam vivere debuissest,
quando præceptum illud accurate observasset.
Hoc postulat æquitas & bonitas Dei præcipientis
& præmonentis. Illæ denique minæ tantam sunt
sapientis, quæ non poenas solum, sed etiam amissio-
nem boni minantur. Illius, qui beneficia ma-
gna concessit ei cui minatur, & ostendit le pro-
justo suo dominio dare obedienti, & auferre im-
morigero posse, illius, inquam, minæ pondus ha-
bent. Dominus, qui nihil boni dat aut promit-
tit, sed statim poenas minatur, abigit a se subditos,
ut ad quemcumque alium dominum se recipient.

Nemo

Nemo prudens approbat juvenile illud & immaturum consilium, secundum quod *Rechabeamus* ostendere debebat, se plane nihil Israëlitis debere, sed absolutum eorum esse dominum i Reg. XII. Nonne sapientissime Deus præmisit donationem liberalissimam, quando dixit: *de omni arbore horti comedendo comedes*, Gen. II, 16. ut observationem ostenderet facillimam præcepti illius: *at de arbore scientie boni & mali, de hac, inquam, non comedes?* Latet in eo quoque argumentum ab æquo, bono & utili. Nihil enim *equius* quam hominem obtemperare Deo, tam liberaliter indulgenti & donanti: nihil *justius*, quam munificentissimo Patri tantillam obedientiam rependere: nihil *utilius*, quam obsequii gloriam reportare, & ad majora dantem incitare.

CHRYSOST. Homil. XIV. in Gen. dignum esse, ait, obstupescere benignitatem Dei, que omnem rationem superat; qui sicut amicus, amico de rebus necessariis præcipiens, loquitur, ita erga Adamum affiliatur, quasi hoc honore ipsum ad obedientiam mandatorum attracturus. Mox post recitatum præceptum, quid, inquit, dic, quæso, hoc præcepto facilius est? quid hoc honore majus, quo illum prosecutus est, data illi mensa propria & segregata in paradyso, ut ne putaret, eandem sibi cum bestiis instrui: sed haberet eam, tanquam Rex in Paradyso agens, deliciarum copiam, & quasi Dominus aliam, quam ministri habitationem sortiretur. vid. JO. HENR. MAJLOV. T.C. II. §. X. p. 198. sq. (γ)

(γ) Abhorret prorsus nostra sententia ab errore *Huthmanniano*, qui arbori scientiæ tribuit vim replendi corpus & sanguinem hominis malis humoribus, & corrumpendi pravis concupiscentiis, per quas corporales concupiscentias anima, alias per se pura, turbata & ad peccandum rapta sit, quemadmodum vir prudens & eruditus confusus fiat, quando corpus inebriavit, Deum igitur, curam paternam hominis agentem, prædixisse tantum mortem corporalem, adeoque hominem non esse sub reatu mortis æternæ, nec objectum justitiæ Dei vindicativæ, sed commiserationis, mortemque corporalem non esse poenam peccati, sed consequens illus corruptionis corporalis. vid. vener. D. IOACH. LANGII Mittel-Strasse P. III. p. 231.233. Supra ostendimus, arbori nullam peculiarem virtutem & efficaciam insitam fuisse, sed ob promissa serpentis falsa illam dictam fuisse arborem scientiæ boni & mali; adeoque arbori ipsi cauſa mali tribuenda non est. Et cum formalem peccati rationem ἐν τῷ ἀποστῆλᾳ ἀπὸ Θεοῦ ζῶντος, in recessione a Deo vivo, (Hebr. III, 12.) constituerimus, satis liquido apparet, animam esse πρώτον δεκτὴν peccati, atque non mortem tantum corporalem hominem sibi attraxisse, sed omnem mortem, quam aversio ab unico vitæ fonte, DEO, inducit. De præmonitione & prædictione futuri eventus tristissimi, non de mera & sola comminatione, verba, *morte morieris*, accipimus quidem, minime tamen comminationem excludi-

cludimus. Requirit enim omnino justitia Dei, ut morti, quam τὸ recedere a Deo vivo secum affert, peccatorem adjudicet; & minime amorem Dei, in quo non sit justitia, fingimus, sed improbamus illos doctores misericordiae, qui justitiam Dei vindicativam, tanquam amori repugnantem, statuunt, aut saltem extenuant. Contra sanam rationem, & absurdum, esse, materiæ crassæ, fructu nimirum arboris, talem influxum & operationem, qualem Huthmanniana opinio fingit, adscribere, nec non immediatam peccati sedem non in anima, sed in corpore tantum, constituere, demonstravit vener. D. LANGIUS l.c. Huc denique accedit, quod nondum evictum sit, volueritne Deus herbas, frutices & arbores noxias in principio ex terra prodire. Minime hoc statuendum videtur, quia cum formula approbante, *& vidit Deus, quod bonum esset*, tertiaræ quoque diei, Gen. I, 12. subjecta, pugnat, & quia ex maledictione omnino ortum, ut terra produceret spinas & tribulos; atque res noxiæ, peccati poenæ, cum peccato in mundum introiverunt. Id saltem certum est, nihil in creaturis esse, quod non, in se spectatum, bonum sit, intuitu vero hominum, quandoque malum fieri, sed post illorum lapsum. In statu integritatis, in quo rerum omnium naturam, adeoque & vim ac efficaciam arborum & herbárum, perspectam habebat homo, nihil damni inde accipere, sed quicquid noxiū erat, facili ratione evitare potuit. Ab omni denique probabilitate
alic-

alienum est, quod Deus in medio paradisi arbo-
rem noxiā prodire fecerit.

(d) Tangit denique usus elechticus senten-
tiæ nostræ eos quoque, qui non audent quidem
aperte Deum facere auctorem peccati : fugo au-
tem errorem suum illinunt, quando dicunt, Deum
prædeterminasse hominem ad entitatem tantum
actus, non ad deformitatem. Qualis, quæso, esset
præmonitio, quale præceptum, de non comedendi
ex arbore scientiæ, quando ad entitatem actus
comedendi Deus hominem prædeterminasset ?
Præmonitio, paterna & sincera non minus, quam
severa, excludit omnem certe præmotionem, &
prædeterminationem ad entitatem actus come-
stionis. Aut enim motum istum divinum, quo
prædeterminatus fuit ad comeditionem, impedire
potuit homo, aut non potuit. *Si potuit*, statuen-
da est reluctantia non exigua & inimicitia ad-
versus Deum in homine in ipso statu integritatis,
id quod absurdum est & repugnat creationi
valde bonæ & doctrinæ de imagine Dei; saltem
nec homo eo ipso excusat, nec Deus, sed aliqua
lapsus culpa in Deum transfertur, quippe qui
prædeterminaverit & moverit hominem ad actum
peccati, aliqua in hominem, quippe qui potuerit im-
pedire motum istum divinum & non impediverit,
omnia denique ad, nescio quam, necessitatem & ne-
xum absurdum se referunt. *Si non potuit* homo
impedire motum divinum, seu prædeterminatio-
nem, nonne Adamus, vocatus ad tribunal Dei, ju-
stissi-

Stissime se excusare potuisset, dicendo: Exprobras quidem mihi, Domine, quod, neglecta prohibitione & præmonitione, comederm ex arbore illa, at non serio & cordate prohibuisti & præmonuisti, cum non fuerit in potestate mea omittere actum, cuius per prædeterminationem & præmoti-
nem caufa es, non potui non actum elicere ad quem Tu me prædeterminasti. Præterea semper *υπελέγει*: latere existimamus sub quibuscumque coloribus, qui conquiruntur, ut disputationes de præmotione & prædeterminatione plausibles & innocuas faciant; extenuant hæ certe & suspectam reddunt præmonitionem illam since-
ram & severam, ac prohibitionem de non come-
dendo, & minime sufficiunt ad liberandum DEUM
a participatione peccati.

Concursum Dei secundum leges generales ad actum physicum comestionis, de quo §. IX. diximus, minime involvere prædeterminationem & præmotionem ad entitatem actus, quilibet facile perspicere potest. Aliud enim est concurrere secundum leges generales ad actum aliquem hominis, i. e. nolle facere miraculum, seu suspendere leges generales, cum homo libere agere & non agere possit & debeat: & plane aliud est præde-
terminare & præmovere hominem ad actum aliquem, i. e. velle & efficere ut actus ille fiat. Suffi-
cient nobis verba TERTULLIANI *contra Mar-
tian.* lib. I. c. 9. *Quod malum adscribes Creatori,
si delictum est hominis? non erit DEI, quod est
homi-*

hominis: nec idem est habendus delicti Auctor, (Præmotor & prædeterminator) qui invenitur Interdictor, immo & Condemnator. Sententiam, quæ Deum prædeterminare actus malos & peccaminosos ait, IDEM appellat spurcum blasphemiae afflatum, ex hæretico ore fætentem.

§. XIII.

Usus Epanorthoticus nostræ meditationis punget forte eos, qui, ut peccata sua excusent, aut aliqua specie dehortationes repudient, dicunt, experientiam omnia rectius docere, malum igitur, æque ac bonum, faciendum esse, ut discri-
men inter utrumque, per experientiam exploratum, eo clarius possit ostendi. Illi sapiunt ultra Deum, quippe qui hortatus est, severe æque ac paterne, ut sibi caveat homo a scientia boni & mali curiosa. Satanæ vox est: probate omnia, mala æque ac bona faciendo, & aperientur oculi vestri, ut sitis scientes bonum & malum (Gen. III, 4.) Et impudenter præmittit suum mendacium: *non moriemini.* Atque hæc est *prima hæresis*, rectissime observante HERMANNO WITSIO Oecon. Fæd. I. I. c. VIII. §. 6. *quæ in mundo audi- ta fuit, dari peccatum quod non mereatur mor- tem, quod idem est ac dari peccatum veniale.* Hanc hæresin fundamenti theoretici loco subster-
nit serpens ille antiquus collegiis suis practicis & experimentalibus. Minime autem facere mala, sed recedere a malo est intelligentia. Spiritus San-

Sanctus talem *δοκιμασίαν* docet, quæ instituitur eum in finem, ut retineamus bona. I. Thessal. V. 21.

Tὸ οὐαλέχειν (retinere) bonum præsupponit τὸ ἔχειν (habere) bonum. Per τὴν ἔξιν (habitum) autem habemus sensus exercitatos ad dijudicacionem boni & mali. Hebr. V. 14. Qui bonum habet confessim dignoscit (*διακρίνει*) malum, tantum autem abest, ut velit hoc experiri, ut potius firmiter retineat illud, & sollicitus sit, ne per & propter malum amittat bonum. Quis, nisi vesanus, bonam sanitatem habens, vellet sibi contrahere morbum lethalem, ut experiretur quam malus hic sit? Qui didicit dijudicare pulchra & formosa, is primo statim intuitu rerum deformium illas detestatur, nedum cum illis commercium habet. Αἰσθάνεται sunt malum æque ac bonum facere & experiri velle. Unius positio est alterius exclusio & remotio. Quamdiu aliquis facere vult, & aetu facit, mala, malus est, & non potest facere bonum. *A fructibus* eorum, inquit Salvator Optimus Maximus, Mat. VII, 16. 18. cognoscetis eos, non potest arbor bona fructus malos facere: neque arbor putris fructus bonos facere. conf. cap. XII. 33. Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem putrem, & fructum ejus putrem. O progenies viperarum, inquit Os veritatis, ibid. v. 34. quomodo potestis bona loqui, cum mali sint? Si illos, qui sibi præsumunt, quod bona loqui possint, cum mali sint, proge-

niem viperarum vocat, quid illi sunt qui videntur sibi bona & que ac mala facere posse? Num vero fons scaturire potest simul aquam dulcem & amaram? (Jac. III, 11. 12.)

Vos ex patre diabolo estis, nam desideria patris vestri vultis facere! dicit Dominus proæres in ad faciendum mala habentibus Joh. VIII, 44. Ante omnia homo, qui *douμας τινα* rite instuere vult, se norit vere conversum, nec voluntario peccato denuo separatum a Deo, intra se vivo. Irregenitus, qui adhuc malum facere potest voluntario, adeoque ex diabolo est, 1. Joh. III, 8. 9. non potest sufficienter & spiritualiter quicquam judicare, sed de bono & malo judicat, sicut cœcus de colore, secundum scientiam historicam. vid. b. Abb. BREITHAUPTII *Thes Cred & Agend.* de Docimasia p. m. 193. CHRYSOSTOMUS serm. I Dom. Adv. *Sicut navis fracto gubernaculo illuc ducitur, ubi tempestas voluerit, sic a diabolo de peccato in peccatum ducimus, nec habetenus quicquam facere licebit, nisi quod ipse diabolus voluerit.* Spiritu Sancto gubernatore destituitur qui proæretice peccat, abripietur igitur, nescio quorsum, qui curiose experiri vult, quid sit malum, voluntario illud faciendo. O miseris quos non faciunt primorum parentum pericula cautos, cum tamen quilibet manifesta nimis culpa poenæque lapsus eorum documenta in peccatore suo foveat, secumque circumferat! Tam egregie didicerunt illi scire bonum & malum, ut veri non minis

minis scientiam plane amiserint, ita ut in hujus locum ignorantia horribilis successerit. Atque sic scire tuum adhuc nihil est, o homo, quando ex tristissimo eventu demum sub angore & pavore conscientia te oportet ingemiscere: male feci! & sub desperatione experiri, quam stultum sit, & quantum malum, peccare Deo. Cum *docta & sapiens* illa laudetur ignorantia apud Philosophos, quando ignorantur turpia & pudenda: multo magis omnem laudem meretur pia illa ignorantia, quae non novit facere peccatum, probe tamen novit discernere malum a bono, ut illud fugiat cane pejus & angue; haec demum vera est intelligentia & scientia. O sancta simplicitas, in qua divina sita est sapientia & perfectio! conf. 1. Cor. XIV, 20. *malitia estote infantes.* (*υητιάζετε*) *mentibus vero perfecti reddimini.* Tum demum, quando malitia sumus infantes, & ad faciendum mala tanquam infantes nos gerimus, mentibus perfecti reddimur. Rom. XVI, 19. Vult nos sapientes quidem esse in bonum, simplices autem (*αινεσίς, οὗνη εφροντεία und Fürrwitz*) in malum. Mat. X, 16. Serpentina prudentia, quae opponitur serpentis illius antiqui insidiis (*μεθοδίας*) Eph. VI, 11. quibus mediantibus ille est *κεσμόκαπλας* conjungitur arctissime cum simplicitate columbina.

BERNHARDIUS serm. 7. de Adv. Generalis est humano generi miseria triplex, & quotquot degimus in regione umbra mortis, in infirmitate

E 3 cor-

corporis, in loco temptationis, si diligenter adver-
timus, triplici hoc incommodo miserabiliter labo-
ramus. Nam & faciles sumus ad seducendum,
& fragiles ad resistendum, & debiles ad operan-
dum. Si discernere volumus inter bonum &
malum decipimus, si tentamus facere bonum de-
scimus, si conamur resistere malo dejicimus &
superamur. Nostra facimus quæ legimus in MA-
CARI Hom. IV. §. XXIV. p. m. 66.

Hac copiosius differuimus, ex sacris literis ad-
struentes, oportere nos converti celerius, & fe-
stinare ad Dominum, qui clementer exspectat
nos. & ab omni pravitate & preoccupatione
mala penitus recedentes magno cum gaudio re-
cipit ne exaugeatur in nobis contentus de die
in diem, & peccata cumulata in nos redun-
dent, & ob id iram divinam nobis ipsis accer-
samus.

Hoc denique probe observandum est, quod
inanibus clamoribus de falso nominata scientia
(1. Tim. VI, 20.) deceperit Satanas Protoplastos,
ut comedenter sub falsa persuasione de arbore ve-
tica; & quod similibus plane clamoribus deci-
piat homines, ne comedant de Arbore Vitæ vera
in Sacra Coena, saltem ut sub falsis persuasionibus
edant & bibant. Sapienti sat!

f. XIV.

Usus Pædevticus superioris tractationis nos
moner, ut recordemur illius quod AUGUST.
I. X. Confess. scribit, conf. supra p̄f. Intelligi-
mus,

mus, inquit, illum demum videre aliquid de prævidentia, qui Dei præscientiam veneretur; qui vero hanc parum agnoscat nihil videre. Hic oculus ante oculos sit nobis, necesse est, purgandos semper aqua viva Scripturarum, quod IEHOVAH sit Deus scientiarum, I. Sam. II, 3. exsuscitandos etiam subinde ipsa recordatione impletorum prædictionis eventuum, in primis etiam de lapsu Gen. II, 17. quo die comederis de ea (arbore scientiæ) morte morieris. Intimius primævum lapsum scrutemur, ut agnoscamus in quotidiana poenitentia, quantum sit malum, quanta aberratio, quod homo, totus a Deo abalienatus, atque in semet ipsum abreptus, intellectu, voluntate, & omnibus viribus, se ipsum tanquam finem, immo tanquam deum, DEO opponendum, respiens, crediderit cacodæmoni magis quam DEO, & assensu comprobaverit blasphemias Satanæ, crimina mendacii & invidiæ DEO ipsi inferentis, ac providens & præcavens Optimi Maximi Patris præmonitum ac interdictum invertentis turpissime. Nonne puderet filium, quem pater hortatus erat, ut sibi caveret a taberna, quæ a fortuna dici solet, quando audivit fæcularium dicentes: pater tuus, quem dicas tibi interdixisse hac taberna, est mendax, invidet tibi fortunam, propterea dixit: non ingreditor tabernam fortunæ: mihi credas, quælo, & eris fortunatus ac felix; nonne, inquam, puderet filium, quoties recordatur quod tacito assensu comprobaverit σπερμαλόγυς istius

E 4.

im-

impudentes loquelas, se autem deceptum nunc videat, perditio patris favore, & amissis thesauris, quos ex manibus paternis attulerat? Assidue cogitemus quod in LIB. SYMB. nostris p. m. 574. fin. legitur: *Credimus docemus atque confitemur, peccatum originis non esse levem, sed tam profundam humanæ Naturæ corruptionem, quam nihil sanum, nihil incorruptum, in corpore & anima hominis, atque adeo in interioribus & exterioribus viribus ejus, reliquit. Sicut Ecclesia canit: Lapsus Adæ vi pessima Humanæ tota massa, Natura & ipsæ essentia, corrupta, luce cassa &c. Hoc quantum sit malum, verbis revera est in explicabile: neque humanae rationis acumine indagari, sed dunt axat per verbum Dei revealatum agnosci potest.* S. ANTONIUS cuidam dicenti, quod videret aspectum Angelorum, respondit: *Beatus est qui videt semper peccatum suum, & non gloriatur in visionibus angelorum.* vid. ANDR. MUSCULI Comp. Doctr. Christ. de Pecc. V.

Avocemus etiam identidem animum nostrum sollicite ab argumentationibus & inventionibus rationis de lapsu ad legem & testimonium, & ad limpidos fontes Israëlis a cisternis & lacunis Philosophorum. *Apud cœlestem Patrem assiduis precibus in nomine unici nostri Servatoris IESU CHRISTI quotidie instemus;* ut S. sui Spiritus gratia nobis adesse, & largiri dignetur, ut peccata nostra vere agnoscamus, serio deploremus, eorum-

eorumque remissionem in unico Servatoris nostri
 I. C. merito firma fide queramus, sicutque in Ipso
 aeternam beatitudinem consequamur. v CHEM-
 NIT. Loc. de P. O fin. Absque pudore etiam,
 ut bene monet MACARIUS hom. IV. §. XXVII.
 p. m. 70. i. e. in fide, indefinenter & indefessè
 petamus a Domino donum gratiæ -- Propter pec-
 catores enim venit, ut converterent se ad Illum,
 & curaret credentes ipsi. Modo nos ipsi a malis
 præoccupationibus abstineamus, quantum in vi-
 ribus nostris est. & odio prosequamur opera ma-
 la. & mundi technas atque improbos & vanos
 sermones abhorreamus, & per omnia ei, quantum
 fieri potest, adglutinemur. hom. XXVI. p. 69.
 Anima immortali, indissolubili & incorrupti-
 bili, oppressa morbo ignorantia, malitia, infide-
 litatis, temeritatis. & reliquarum peccati affe-
 ctionum; accedenti ad Dominum, & ab eo au-
 xilium requirenti, ac in misericordiam ejus in-
 tuenti, nec non gratiam Spiritus ab eo recipere
 desideranti ad redemptionem & salutem suam,
 & ab omni malitia & affectu liberationem,
 concedet quam celerrime & promptissime velut
 medicam liberationem. Observemus denique
 illam CLEMENTIS in Epist. II. ad Corinth. XI.
 (vid. in THOMÆ ITTIGII Bibl. Patr. p. 113.)
 adhortationem: Quandiu, inquit, tempus ha-
 bemus. ut sanemur, dedamus nos ipsos medicanti
 Deo, retributionem illi dantes; quam illam?
 pœnitere ex sincero corde. Præcognitor enim

E 5

est

*est omnium, & sciens interiora cordis nostri.
Demus ergo illi laudem non ex ore solum, sed
etiam ex corde, ut nos suscipiat tanquam Dei
filios.*

§. XV.

Primum salutis, adeoque & consolationis, fundamentum situm est in amore Dei. Quod si consideremus igitur, non minus amorem, quam maiestatem & dominium Dei, ex interdicto de non comedendo conspici, quid? amorem fuisse causam impulsivam internam, ut Deus pro autoritate sua præceperit de non comedendo, atque sic unionem & communionem hominis cum Deo muniverit, nonne hæc meditatio nos jubet confidere, & optima quæque sub omnibus tentationibus, etiam post lapsum, de Deo sperare? Ratio, aliquo tantum splendore amoris divini collustrata, non potest non firmiter concludere: Si Deus noluit lapsum, sed peramanter æque ac severe ab eo præcautum atque provisum est, ne homo laberetur: certe, Deus, qui immutabilis Amor est, vult ut, ex lapsu erecti, in bono conservemur ad vitam æternam. Quod si meditemur attributum amoris primum fuisse quod post lapsum se erga hominem, qui universum genus humanum repræsentavit & complexus est, exeruit, quando Deum nobis concipimus tanquam patrem amantissimum, quærentem filium perditum, exclamando: אַיְכָה
wo bist du doch? & verba sequentia &c. יְהִרְמֹן הָעֵדָה
acipiamus ut testes animi non indignantis solum,
sed

sed maxime condolentis quoque: hast du doch gesessen ic. ? nonne avocatur mens a fuga Dei, & sistitur quasi gradus, ut iterum se recipere velit ad Patrem quærentem & vocantem? Quod si perpendamus accurato judicio, Deum serpenti seductorri maledixisse, non autem personæ hominis, promisisse potius huic Semen mulieris benedictum, victorem serpentis, ea vero quæ pro iustitia sua & dominio homini denunciavit ita comparata esse, ut ex iis quoque appareat paterna caritas, dum non tam poenæ sunt peccati, quam castigationes & remedia, amara quidem, salubria tamen, adversus perversum amorem sui ac rerum terrestrium, vilipendentiam peccati, concupiscentiam ac dominium peccati, quod per illam obtinetur, nec non adversus securitatem, dum sunt quoddam compelle ad Patrem, sicut siliquæ pororum, quas filius perditus post voluptatem comedere necesse habuit, Luc. XV. Nonne ejusmodi meditationes eo facere possunt, ut amorem Dei veneremur in eo quoque, quod non in conversione solum, sed in quotidiano quoque purificationis exercitio, maxime autem in hora tentationis, peccata nobis ob oculos ponat & exprebret? Nonne compellimur, ut victoriam Seminis benedicti per fidem avide amplectamur, de que ea lætemur, illaque contra Diabolum sub luctis nitamur, a maledicti hostis operibus eo luctentius & hilarius abhorreamus, hujus vitæ ærumnas patienter feramus, & gloriemur in afflictionibus

nibus propter probationem & spem, quas istæ sub patientia operantur ita, ut non pudeamus Rom. V, 3. 4. 5? Taceo, quod tentationes & murmurations carnis de gravitate ærumnarum hujus vitæ, & de defectu proportionis inter peccatum & illius consecaria, facillime solvere possumus per contemplationem amoris Dei, in ipso interdicto ante reprehensionem, & in hac, ac in denunciatione poenarum, post lapsum conspicui. Vix audet corrupta ratio Deum injustitiæ accusare, quod peccatores perseverantes æternum diabolo committat, quando jubetur acri judicio perpendere, quanta sit corruptio & petulantia hominis in eo quod omnes præmonitiones, reprehensiones, castigationes, omnia quæ paterna caritas remedia adversus peccatum, i. e. fraudes & opera diaboli, dedit, spernat, oderit, blasphemet, & non desinat instinctibus serpentinis, ac impudentissimis Satanæ mendaciis, obedire, Deo diffidere, præcepta ejus negligere, divinum honorem sibi arrogare, & affectare, adeoque crimen læse Majestatis divinæ identidem committere, totum immersum esse atheismo & amore sui supercilioso. Tum demum veri solatii sumus capaces, quando vanas & blasphemias murmurations vincimus, iisque solida fundamenta opponere possumus.

Vix dubito, quin animam afflictam, & sub onere peccati lugentem, excitant verba B. MACARII hom. XXX, 7. quibus creatorem, ut Miseratorem magis, quam judicem inducit: *Die illa, qua lapsus*

sus est Adam accessit Deus, ambulans in paradiſo,
 lamentatus est, ut ita dicam, conspecto Ada, ac
 dixit: Quibus e bonis qualia excitasti mala?
 E qua gloria quale dedecus geris? Cur tenebro-
 sus es modo? cur deformis? cur putridus? quali
 ex lumine tales tenebrae obvelaverunt te? Et
 quidem cum cecidisset Adam, & a facie Dei mor-
 tuus esset, luxit eum Creator, angeli, virtutes
 omnes, caeli, terra & omnes creature luxerunt
 mortem & casum ejus. Nonne cogitabis, o ani-
 ma afflita, merito lugeo, quando sentio, quid sit,
 & afferat peccatum, cum ipse Deus luxerit ex
 mera gratia lapsum meum. O Patrem amantissi-
 mum! o Miseratorem nostrum clementissimum!
 luxit peccatum nostrum, & gaudium in Deo &
 toto coelo sentitur super uno peccatore resipis-
 cente Luc. XV! o beatum luctum nostrum, qui
 Deum, lugentem lapsum nostrum, exhilarat! Lu-
 gitus ille Dei moveat cor nostrum, ut sincere, ex-
 solida peccatorum agnitione & pudore poenitent-
 tiali, lugeamus, tum Deus cum toto coelo gaude-
 bit, & illud gaudium coeleste erit nostrum gau-
 dium. Siste tibi, o anima non per nudam & ste-
 rilem prosopopoejam, sed per solidam & humilem
 meditationem, Deum cum homine lapsi loquen-
 tem secundum Hos. Cap. XI, 8. *Quomodo dabo*
te Ephraim? tradam te, Israël? quomodo dabo
te sicut Adamam? ponam te, sicut Zeboim? con-
 versum est super te cor meum: simul astuarunt
 paenitundines meæ.

Nonne

*Nonne cum fletu venies? nonne precibus ad-
ducet te Dei misericordia, quæ salva justitia hanc
tamen temperat? Ducet te ad fontes aquarum
in via recti Jer. XXXI, 9. & sic delebit tandem
Deus omnem lachrymam ab oculis tuis. Apoc.
VII, 17.*

§. XVI.

Quia, bene CHEMN. L. T. Loc. V. c. VI. p.
160. monente, ex disputationib⁹ de Præscientia
divina texuntur multi labyrinthi ad perturbandam
simplicem illam sententiam de caussa peccati, trans-
scribimus hoc seriem observationum & positio-
num ex ipso CHEMN. aliisque probatis Theolo-
gis, quorum quidem scripta ad manus sunt, quæ
instar filii Ariadnæ esse possunt, non habito respectu
ad Theologorum, quorum testimonia afferimus, æ-
tatem & autoritatem, sed ad argumenta testimonio-
rum, ita ut series & nexus positionum & observatio-
num Theologicarum quodammodo constituatur.
Merito autem præmittimus illam b. CHEMNIT.
p. 161. egregiam observationem. *Tutissima est,*
inquit, illa ratio: Postquam ex certis Scripturæ
testimoniis constituta est vera sententia, quæ est
Deo grata, conscientiis utilis, & Ecclesie necessa-
ria, etiamsi non possumus omnes argutias, quæ
ex præscientia nectuntur, solvere, sufficere nobis
debet: 1) Quod sententia de caussa peccati fun-
data est in certis & manifestis Scripturæ testi-
moniis: 2) Quod arcanam Dei præscientiam in
hujus vite caligine, non possumus plene pervi-
dere:

dere: 3) *Quod non mandatum nobis est scrutari & inquirere, quomodo Deus praesciat peccata: & tamen dicat Esæ. 65. v. 12. Quæ nolui elegistis.*

IO. FRANC. BUDDEUS *Instit. Dogm. L. II. c. I. §. XXII. p. 226.* Rerum futurarum, earundemque contingentium, prædictiones, etiam ethnici, eorumque philosophi plerique agnoverunt.

Ex CICERONE l. I. de divinatione c. II. p. m.
1246. condiscimus, reliquos philosophorum omnes, præter Xenophanem & Epicurum, vaticinia, seu prædictiones rerum futurarum, credidisse, ita tamen, ut nonnulli omnia prædictio-
num genera, alii quædam tantum admitte-
rent. - - -

Cum nullo modo concipi possit, quo pacto intelle-
ctus finitus sine signis aliquid cognoscere queat, fu-
turorum autem contingentium nulla signa dentur,
absconam plane, longeque ineptissimam eorum
esse sententiam, manifestum est, qui aut homini,
aut ulli spiritui creato, facultatem, futura contin-
gentia prædicendi, inesse, contendunt.

Sed positum in more est ejusmodi hominibus,
ut absurdissima quævis admittere, quam a re-
cepta semel animi sententia discedere malint.
Sufficit interim, quod futurarum rerum præ-
dictiones negare non audeant, quin potius hoc
ipso testentur, sine summa impudentia ea ne-
gari non posse.

Certe, quæ in Scriptura sacra exstant prædictio-
nes, ita comparatæ sunt, ut nec ab iis, qui Scri-
pturæ

pturæ divinam auctoritatem non agnoscunt, negari, aut in dubium vocari queant.

Prophetas enim, quorum vaticinia in illa existant, eo vixisse tempore, quo vixisse perhibentur, a nemine, nisi qui rationis usum amissit, negari potest. Nam vero, cum ex historiarum monumentis constet, horum vaticiniis interdum post ducentos, aut trecentos, aut plures adhuc annos, eventum respondisse, ecquis de prædictionis veritate dubitaret? vid. *Thes. de Ath. & Superst. c. VII. s. iV. p. 591.*

Qui Scripturæ divinam auctoritatem admittunt, eo minus hac de re dubitare possunt, ad eoque & futurarum rerum & quidem contingentium, præscientiam recte Deo tribui, fateantur necesse est.

(conf. JOSEPH. Antiquit. Jud. I. X. c. XI.)

CHEMNIT. Loc. V. c. VI p. 161. seqq.

Certum est, Deum omnia futura, tam bona quam mala, prævidere & præcire.

Ioh. VI, 64. Sciebat ab initio, qui essent credentes, & quis traditurus esset eum. Ioh. XII, 4. Ipse erat sciens omnia, quæ ventura erant super eum. Eccles. XXIII, 29. Domino Deo, priusquam creantur omnia, sunt cognita, sicut postquam sunt perfecta. Dan. XIII, 24. Nostri omnia antequam fiant. ORIGEN. I. I. ad Rom. *Valde impius est, qui hoc non credit in Deo, ut quod nos in præterito videmus, hoc ille videat in futuris.* AUGUST. I. V. de Civit. Confiteri

fiteri esse Deum, & eundem negare esse præscium futurorum apertissima insania est. Contra Maximinum, Arianorum episcopum, Lib. I, I. *Quis insanus negabit Deum esse omnium futurorum præscium?* Atque adeo hoc verum est, ut Deus hoc, quasi proprio, agnosci velit verus Deus, & hac nota discerni ab idolis Es. XI, I, 13. 27. - - Es. XLV, II.

Deinde certum est & hoc: præscientiam Dei non esse incertam conjecturam, quæ errare & falli possit; sed sicut scientia ejus de præteritis & præsentibus certissima est (quia Deus verax est:) ita & præscientia ejus de futuris falli non potest.

Sicut AMBROSIUS inquit: *Deus tam certo scit futura, sicut novit præsentia.* - - AUGUST. de lib. Arb. I. III. c. 3. *Quisquis dixerit aliter evenire posse aliquid, quam Deus ante præscivit, præscientiam Dei destruere, aut mendacem facere insanissima impietate molitur.*

Manifestum autem est, nomine præscientiæ non intelligi voluntatem disponentem, moventem, operantem.

AUGUST. de lib. arb. sicut memoria nostra scit ea, quæ præterita sunt, et si nec velit, nec approbet, nec adjuvet ea, ita Deus præscientia sua omnia quæ futura sunt prævidet. Et sicut eorum, quæ reminiscimur, quædam approbamus, quædam improbamus, sed ad rationem reminiscentiæ non pertinet vel approbare

bare vel improbare; tam enim meminimus eorum, quæ vel ipsi facimus, vel alios facientes audivimus, quam eorum, quæ nec fecimus, nec audivimus, nec probamus: Ita ad definitionem præscientiæ proprie non pertinet vel operatio vel approbatio præscientis, nec necessitas, vel contingentia. Res enim, sive præterita, sive futura, non pendet a scientia: sed Scientia a re: ut, scio heri flavisse Zephyrum: scio post aliquot menses futuram æstatem: sed non ideo quia ego scio vel flavit Zephyrus, vel erit ætas: sed e contra. Et recte dictum est ab ORIG. lib. II. ad Rom. *Etsi communis sensus de præscientia sentiamus, non propterea erit aliquid, quia scit Deus futurum: sed quia futurum est, scitur a Deo.* Sicut enim Medicus ex cursu naturæ ordinatæ prævidet morbum, ex morbo mortem, & sua præscientia nec approbat morbum, multo minus efficit, nec affert necessitatem moriendi sua prævisione: Ita, Dei præscientia, quatenus est præscientia, nec voluntatem approbantem, nec operationem adjuvantem, ac necessitatem cogentem affert peccatis quæ prævidet.

Loquimur enim nunc de præscientia Dei, secundum materiam subiectam, id est, de vitiis hominum actionibus.

Quod vero Deus bona electorum opera, quæ præscivit, adjuvat & operatur, non sit ratione præscientiæ: sed voluntatis approbantis & adjuvantis.

Per-

Pertinet ergo ad definitionem præscientiæ di-
vinæ proprie non voluntas Dei disponens,
movens, operans, sed simpliciter quod Deus
ea, quæ futura sunt, scit antequam fiant.

Deus præscientia sua certo & infallibiliter non tan-
tum prævidet futurum aliquid: verum etiam hoc
præscit, quomodo aliquid sit futurum, hoc est,
per quas caussas. Et extra omnem controver-
siam verum est, quasdam actiones habere caussas
necessarias, quasdam contingentes, id est, tales
quæ possent mutari, & aliter se habere. Sic ut
ergo illa, quæ Deus præscivit ventura ex caussis
necessariis, eveniunt necessario, quia præscientia
Dei non potest falli: Ita quæ Deus prævidit ex
caussis contingentibus eventura, impossibile est
ut aliter eveniant, quam per contingentiam. Alias
enim falleretur præscientia Dei.

Ad multas ergo objectiones ex his fundamen-
tis respondeatur: Si præscientia Dei, ob sui in-
fallibilitatem, omnes actiones servas facit, au-
feretur etiam ipsi Deo libertas. Omnino enim
præscit, quid sit facturus, & tamen est agens
liberrimum. Quia omnia quæ voluit, fecit
Pl. CXV. 3.

Cum ergo Deus diserte dicat, se illa quæ prævi-
det impiorum scelera, nec velle, nec approbare,
nec adjuvare, nec efficere, nec impellere voluntates:
sed juramento confirmet, Ezech. XXXIII,
II. Vivo ego, voluntas mea non est mors im-
pii, sed ut convertatur a via mala &c. fallæ im-

blasphemæ sunt omnes consequentiæ, inferentes coactitiam & immutabilem necessitatem in sceleribus, ex præscientia divina.

Deus enim, qui præscivit peccata Judæorum, prævidit etiam hoc, quod volentes, id est, libero arbitrio, ignoraturi sint 2. Pet. III, 5. --- Est non postrema refutatio, quod illæ intricatae disputationes de præscientia non manarunt primo ex fontibus Israëlis: sed ex cisternis & lacunis Philosophorum. Postea vero, sicut fieri solet, quæsiti sunt prætextus ex Scriptura. Nos vero, quia videmus in præstantissimis ingeniis Philosophorum, quam foede hallucinetur ratio, quando cogitationes suas sequitur de hoc loco, avocamus hanc disputationem ab argumentationibus rationis ad legem & ad testimoniū.

BUDD. *Instit. Dogm. L. II. c. I. §. XXII. p. 228.*
Nobis equidem, fateor, non constat, quo pacto contingentia quælibet, quæve libere ab hominibus fiunt, a Deo cognosci, adeoque præsciri, hinc & prædicti possint: sed iniquum plane esset, ex nostri intellectus modulo infinitam divini intellectus perfectionem astimare velle. Hoc nobis sufficiat, quod prævisio, seu præscientia, rebus ipsis nullam inferat necessitatem, cum vel humanæ cognitionis exemplo constet, posse aliquid præsciri, ut tamen inter præscientiam & effectum nullus intercedat nexus caussalis.

Sunt equidem, qui contradictionem quandam hic se invenisse sibi videntur. Quod enim certo non

non est futurum, hoc etiam certo sciri non posse, contendunt. Certo autem si futurum est, non erit contingens. Sed jam dudum observatum est ab aliis, id, quod ratione causæ, prout libere agere, vel non agere, potest, contingens, adeoque incertum & indeterminatum est, posita hac vel illa causæ actione, ceu certum & determinatum spectari, & eo modo ab intellectu infinito certo cognosci posse.

Nihil itaque obstat, quo minus aliquid certo modo contingens, certo modo necessarium sit: contingens scilicet, si ratione causæ, libertate agendi pollutis; necessarium, si hypothetice, posita certa causæ actione, spectetur. Nec adeo a præscientia divina, quod id, quod contingens est, ut certum spectari potest, oritur, sed a conditione ista, qua, posita certa causæ actione, non potest non certus quoque effectus sequi.

SCHERZ. *System. Loc. II. p. 46.*

Quicquid Deus præscit, infallibiliter quidem futurum est, sed non necessario, necessitate consequentis.

Præscit enim (N) *Aetus voluntatis humana liberos: præscit voluntatem.* Ergo præscientia non adimit mihi volendi libertatem, infert acute AUGUST. I. III. de lib. Arb. c. IV. (vid. omnino PETAVIUM Tom. I. L. IV. c. VII.) addens: Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt; sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt. (O) Præ-

F 3

scit

icit Deus omnia peccata. Ergone per præscientiam suam est eorum causa? Blaspheme! Præterit (1) Contingentia. Ergone nullum in rerum natura contingens? Hoc Stoicum est. v. Dissert nostram inauguraem §. LXXXVII.

BREITH. *Instit. Dogm. Loc. I c III. s. VII.*

p. m. 116.

Hypothesis indubitate pronunciatur Act. XV, 18. *Nota sunt Deo ab eternitate omnia ipsius opera.* Quæ si jungatur cum altera, Eph. I, 11. *Deus omnia operatur ex consilio voluntatis sua;* fundatum invictum hoc inde construitur: *Quicquid aliquando est, vel erit Dei opus, id decrevit Deus ab aeterno.*

Et quia hoc enunciatum simpliciter est converibile, accedit aquipollens ita:

Quicquid non est vel erit Dei opus, id Deus non decrevit ab aeterno:

ut Ipse conqueritur Ier. XXXII, 35. *Non venerat in animum meum, ut facerent abominationem hanc:* quo pertinet lapsus primus, cum omnibus malis moralibus: quorum nihil, nec per se, nec per creaturas operari, decrevit Deus; licet decreverit, talia nonnulla permittere, seu non impedire, ex judicio iustissimo.

Itaque observandum exactissime, Divinam PRÆSCIENTIAM habere quidem pro objecto omnia, & bona & mala visione presentissima; sed consilium voluntatis, cum DECRETIS, pro objecto habere

habere tantum bona, etiam circa id, quod futurum malum prævidetur. Unde PROVIDENTIA quidem circa actiones quoque malas versatur *decretis suis*, sed multo aliter, quam circa bonas: quæ caussa est *fundamentalis*, quod directio adhibeat diversam & variam *determinationem, impeditiōnem, permissionem.*

p. 121.

Directio circa mala versatur in duobus respedibus: (1) *Antecedenter*; ut, si peccatores non relinquent locum concursui speciali, secundum Pati & Verbi media, tanquam ipsi Omnipotentiæ ordinata; Eph. 1, 18. 19. 20. *Gratia* via repudiata, per viam *Irae* concursus generalis procedat, sine consensu, sive influxu in vitium, h. e. defecatum actionis. (2) *Consequenter*; ut Providentia limites ponat, ubi & quando sit cohendendum furor, videritque æterna sollicitudine, quomodo peccatorum *atraxia* ad *taudiv* justam, vel moraliter reducatur, vel accommodetur *judicialiter.*

LIB. SYMB. F.C. p m. 799.

Præscientia Dei prævidet & novit etiam mala, antequam fiant: sed non ea ratione, quasi Dei voluntas propitia illa sit, ut fiant. Sed ea, quæ perversa diaboli & hominum voluntas molitur & efficere conatur, atque effectura est, hæc Deus longe ante prævidet, & novit.

Et ipsius præscientia etiam in malis rebus & operibus ordinem suum ita servat, ut a Do-

F 4

mino

mino rebus malis (quas Deus nec vult, nec approbat) certæ metæ ponantur atque circumscribantur, quas egredi nequeant, & iisdem præscribatur, quamdiu durare debeant: & quando & quomodo ea mala impediri rursus & puniri debeant. Et hæc omnia Dominus ita gubernat, ut ad nominis sui divini gloriam, & ad electorum suorum salutem cedant: impii vero confundantur & pudeant.

Principium & cauſa mali non est ipſa Dei præscientia: (Deus enim non creat, procurat, efficit aut operatur malum: sed neque illud juvat aut promovet:) at diaboli & hominum prava & perversa voluntas cauſa est mali.

Sic enim scriptum est Oſe. XIII, 9. Perditio TUA ex te est, Iſraēl: tantummodo in me SALUS tibi. Et David inquit Ps. V, 5. Non Deus volens iniquitatem, tu es. conf. CARPZOV. Ifagog. p. 1628.

GERHARDUS de Provident. c. IV. §. 53.
Ut Deus in tempore volens permittit lapſum, nec tamen vult hominis lapſum; ita ab æterno decrevit permettere lapſum: nec tamen ipsum lapſum decrevit.

PAUL. ANTONIUS vid. TRIBBECHOV.

de Ortu Mali p. 33.

Ipsa notio, ideo, natura possibilis peccati, non est a placito Dei, nec ideo, quod res statutæ sint; sed illa (possibilitas peccati) ab eo est, quod res, si quæ statuantur, ex leſe & sine interventu placi-

citi

citi Dei sint nihil solidum, nil (independenter) subsistens, nil se conservans, sint non Deus.

Quare ut deficiendi sint capaces, non opus est, placitum Dei *positive* intervenire. Quod nil perfectionis habet, caussam statuentem non requirit; nec statuitur, sed linquitur, ut sic dicam, intactum.

Peccatum est quid plane derelictum a Deo, qui non habet commercium in esse, in statuendo, in agendo, nisi cum realitate & perfectione.

Si creaturæ subsunt vanitati, sive evacuationi decoris suorum actuum, siue status, si destruuntur gloria, quam a Deo acceperant, si steriles, si pugnantes, si inertes, non agentes, morientes, deprehenduntur, id sua ipsarum culpa non est (*ratione Phœbus, quam Creator reddit optimam*) sed culpa alicujus libere agentis, vel potius libere deficientis. Et quia sum variabilis, sc. A MEIPSO, quatenus natura mea non sum Ens summum & constantissimum, fieri potest, ut deficiam ab hoc statu non determinationis, in quo sum non determinatus a me, ad me, per me, ad inane aliquod spectrum pejus quam nihil, cui, quanquam ei subsit cogitatio realis & spontanea, absurdia inest forma, quasi nimirum a me essem, possem, facerem aliquid reale. Et hoc est, quod, ubi accedit, PECCATUM EST, IMO HOC IPSA RADIX EST ET FUNDUM PECCATI INTIMUM, UNDE MANANT RELIQUA.

F 5

conf.

co. f. que supra §. IX. adduximus ex BREITI H.
Instit. p. 257. quod Peccatum, cum non sit res
 positiva, sed privatio, non possit, stricte lo-
 quendo, formalem caussam habere, quemad-
 modum nec efficientem, proprie dictam, sed
 deficientem potius, ut AUGUST. observat de
 C. D. I. XII. c. VII. qua de re tamen consulen-
 dus CHEMNIT. Loc. de P. O. cap. IV. conf.
 HOEPFNER. Loc. XIII. p. 215.

De Ortu Malo p. 36. 37.

Quodsi homo lapsus suum ipsius malum dome-
 sticum ne intelligere, ne cogitare quidem potest,
 vel vult, sine inclinatione saltem ad blasphemiam,
 sine devolutione & translatione caussæ ad alium:
 O quantæ tenebræ originales! O quam pericu-
 losi errorum & perversi judicii fontes! Concur-
 sus divinus in negotio lapsus (1) conferri semper
 debet cum omnibus præmissis bonis divinis, &
 cum seria, nulloque modo obscura præmonitione
 Gen. II, 17. Rom. V, 19. (2) Concursus ille
 debet etiam conferri cum libertate hominis pri-
 mæva, tanquam præcipuo bono ex istis præmissis.
 Alias, si Deus concursu suo necessitatem impone-
 ret, ne concursus quidem ullo hic modo vocari
 posset; quoniam ita Deus concursu suo absoluto
 tolleret, quod homini simpliciter & irrevocabiliter
 concessit. (3) Concursus quidem Dei nullus fuit
 ad lapsum (τὸ ad proprie sumto) in libero tamen
 lapsu hominis concursus divinus generalis sese
 habet

(a) non

(a) non impediendo irresistibiliter, & quasi physice, quanquam impediendo moraliter, & plus quam moraliter.

(b) Permittendo tandem lapsum aetate judiciali penali & voluntate quasi consequente, sed ut simul e veltigio.

(y) Cogitaret de REMEDIO & Vindiciis, paternae miserendo miseri hominis, tanquam seducti, ex mera gratia, ut adeo interveniens statim concursus, seu SUCCURSUS MEDICALIS τε λόγος, tractationi huic adjungendus omnino sit Sap. X, 1. Ps. XXV, 6. Exod. XXXIV, 6. 2. Sam. VII, 14. ubi iterum vox θρν notanda, ut & Ps. VIII, 5. XXXVI, 8. XLV, 3. LXVIII, 19. CVII, 17. 20. 21. 15. 31. 8. Prov. VIII, 4. 31. Hos. II, 19. Es. XXX, 18. 2. Paral. VI, 29. 30. conf. 1. Cor. XV, 21. 22. 45. Iq. Rom. V. tot. XI, 32. Jac. IV, 5. Eph. I, 4. 9. 10. II, 4. 10. III, 9. V, 25. 32. 2. Tim. I, 9. Tit. I, 2. 1. Pet. I, 20. Col. I, 15. 14. 18. Jac. I, 18. 17-13. Ita haec, bene in animo ordinata omnia, concursum Dei, & antecedentem & subsequentem faciunt innocentissimum, justissimum, imo gratosissimum.

Adfuit ergo quidem Deus (quomodo enim ejus præsentia & inspectio excludi posset?) attamen quando Deus hominem, suopte arbitrii motu, magis magisque præcipitem, tandem amplius ab extremo lapsu non retinuit: non sic permisit lapsum ut cum indifferentia amoris, vel ἀσοργίᾳ qualibet

quasi, aut negligentia salutis humanæ in Deo, fieret lapsus hominis. Neque adeo permissions divine sunt otiosæ, vel nudæ, sed serii justique actus judiciales; qui tamen *sub malo* diriguntur ad bonum, consiliaque admittunt restitutionis in integrum, quatenus ea fieri possit convenienter modo, ordine, tempore Ebr. X, 7. 26. sqq. Habac. IV, 2. Deut. IV, 30. 31. Ps. XC, 4. (ubi iterum vox *מִנְחָה* observanda) fuit enim concursus iste conjunctus cum ipsa commiseratione in ipso tam horribili iudicio.

CHEMNIT. de Causa pecc. p. 160.

Quando Eva extendebat manum ad pomum interdictum, sustentabat quidem Deus loco motivam, verum non adjuvabat actionem vitiosam.

Scriptura non ita loquitur: Deum adjuvare malos. Zach. I, 15. de hostibus Israëlis dicit: Ipsi adjuverunt in malum. Quia vero Deus est Salvator omnium, etiam infidelium, 1. Tim. IV, 10. recte & pie dicitur, Deo sustentante, non adjuvante.

Ad peccandum non adjuvamur a Deo. Sicut corporis oculus non adjuvatur a luce, ut ab ea clausus aversusque discedat; ut autem videat, adjuvatur ab ea: Ita Deus, qui est lux hominis, adjuvat, ut boni aliquid operemur. Si autem ab illo avertimus, nostrum est. Conversos ergo Deus adjuvat, aversos deserit. Sed etiam ut convertantur, ipse adjuvat, quod certe oculis corporis lux ista non præstat.

CHEM.

CHEMNIT. l.c. p. 159.

Cogitemus quanta sit abominatio in peccato, quod in ipsis Dei manibus, sustentantis & conservantis nos, tam petulanter ruimus contra Dei voluntatem, & illa operatione Dei, de qua Ioan. V, 16. dicit: Pater meus usque modo operatur & ego operor, abutimur ad summam ipsius contumeliam.

Cum manus extendimus, cum linguam movemus, in ipso vivimus, & movemur: & simul s^epe manu, & lingua, quam Deo sustentante movemus, Deum oppugnamus. Unde Paulus non sine caussa Rom. II, 4. tribus utitur vocabulis, valde vehementibus, *χρηστήτης, ἀνοχῆς, μακροθυμίας*. Agnoscamus ergo beneficium intercessionis Filii Dei, quod non statim quando peccamus extinguimur: alias non possemus ad poenitentiam redire, sed omnes in peccatis statim moreremur. Non autem inde texamus plus quam diabolicam consequentiam: In ipsis flagitiis portat nos Verbo potentia^e su^e: Ergo peccatum non est tam tetra abominatio. Paulus enim stomachabundus inquit Rom. II, 4. An *καταφεοντις*, irrides, longanimitatem Dei? Ignoras quod bonitas Dei te ad poenitentiam invitet? &c.

P. 147.

Notanda est differentia inter DIVITIAS *bonitatis divinae & patientiae & longanimitatis*, quibus ipse Deus ad poenitentiam dicit, & inter *iram, quam*

quam ipse homo duritie sua sibi THESAURIZAT
in die iræ & revelationis justi judicii Dei Rom.
II, 4. 5.

Rom. IX, 23. dicit Paulus, Deum ad ostensionem
divitiarum gloriae suæ præparasse *vasa misericordia*,
vocando, justificando &c. Sed de *vasis ire* non dicit, quod Deus ea præparaverit, sed dicit
v. 22. *Vasa iræ aptata ad interitum.* Unde au-
tem sint aptata, explicavit c. V, 12. cum doceret,
quomodo peccatum introierit in mundum, & per
peccatum mors. Deus vero *vasa illa*, aliunde ad-
aptata, tulit in magna longanimitate. Ergo non
probavit, nec effecit.

Sed sicut Magistratus fert improbum civem,
exspectans ut corrigat se: ita quoque Deus
non facit, sed tolerat impios, ut sese emendent.
FULGENTIUS annotavit, quod non appellat
vasa culpa, id est a Deo ordinata, ut scelera
exerceant: sed *vasa iræ*, in quibus Deus pro-
pter iniquitatem ipsorum ostendit iram. Re-
spexit hoc Siracides c. XV, 12. Non sunt Deo
χρέα homines impii: Id est: Non sicut Tyr-
annis belligerantibus necessarii sunt prodito-
res, & alii profligati nebulones: ita ad suum
usum ordinavit Deus impios.

conf. vener. Doct. LANGII solutionem Obje-
ctionum circa loca, quæ caussam mali Deo tri-
buere videntur in *Causa Dei Adv. Naturam*. p. 248. sqq.

conf. ad loca ista omnino etiam vener. SENIO-
RIS

ris D. MICHAELIS Biblia Hebraica. Magni CALOVII Bibl. illustr. & probatos interpretes alios, quorum selecta notitia facilehaberi potest ex celeb. D. RAMBACHII *Instit. Hermen.* S. L. III. c. IX. §. V. VI. VII. p. m. 677. sqq.
 ÆGID. HUNNIUS *de Provid.* p. 38.

Immota est regula; quæ quis abominatur, ea ipsum nec velle, nec juvare, nec quemquam ad ea impellere.

Peccatum sic Dei naturæ voluntatique adversatur, ut Deus non esset, si ullo modo istius auctor esset.

LUTHERUS *Tom. IV. len. Lat. fol. 672.*

Hæc regula certa est ac vera, Deum natura esse bonum, ideo nihil a Deo profici sci, nisi quod bonum est. Mors autem est mala, peccatum etiam est malum, item poenæ quæ peccatum sequuntur, sive sint corporales, sive spirituales: non igitur a Deo proficiuntur hæc mala. Unde igitur, inquires, sunt hæc? sunt ex ipso peccato secundum sententiam: quacunque die comederis &c. Sed peccati porro causa quæ sit si roges, sacræ literæ ostendunt, id ex Satana esse, cui contra Verbum assenserunt nostri parentes & Deo inobedientes facti incurrerunt in horribiles penas.

SUSPIRIUM.

O Pater luminum, arborem scientiæ boni & mali, annuente, & dante mihi, gratia Tua, contemplatus & meditatus sum: non, quod arborem illam cupiam

piam tangere, sed ut ostendam, inter alios
ego etiam, Te, apud quem non est trans-
mutatio, aut conversionis vel umbra (Iac.
I, 17.) ab omni malo immunem, me au-
tem, & omnes homines, esse peccatores
indignos, quibus nihil amplius supereft
quam ut ad Christum, quem ex mera mi-
sericordia propitiatorum proposuisti no-
bis, per fidem in ipsius sanguine confu-
giamus, (Rom. III, 25.) ut accipiamus mi-
sericordiam, & gratiam inveniamus in
opportunum auxilium (Ebr. IV, 16.) Des,
quæſo, Deus Domini nostri Iesu Christi,
Pater gloriae, des nobis Spiritum sapientiae
& revelationis in cognitionem Tui, des
illuminatos mentis oculos, ut sciamus,
Te esse Ipsam dilectionem, quæ non po-
tuit non, animo plus quam benevolo, ut
magnopere caveret lapsum, præmonere,
dicendo: *De arbore scientiae boni & mali;*
de hac, inquam, non comedes: quia, quo die
comedes de ea, moriendo morieris (Gen. II,
17.) des ut probe agnoscamus & humili-
ter fateamur, ex liberæ voluntatis abusu
apud nos ortum esse, & adhuc quotidie
oriri, malum. **TIBI** soli peccavimus, &
malum in oculis **TUIS** fecimus, **TE** deſe-
rendo,

rendo, TE, Fontem aquarum vivarum,
 & excitando nobis foveas stygias, quæ
 non habent aquas, ut TU justificeris in
 loquendo Tuo, & purus sis in judicando
 Tuo. (Ps. LI, 6.) Si laverimus nos nitro,
 & multiplicaverimus nobis sgme^{ma}:
 maculas tamen retinebit iniquitas nostra
 coram TE. (Ier. II, 22.) Expiet nos Semen
 illud mulieris, quod gratosissime statim
 post lapsum promisisti, ut mundi fiamus,
 lavet nos, ut præ nive dealbemur. Laus,
 honor & gloria æterna sit Tibi, Deus sa-
 lutis nostræ, quod des veritatem Jacobo,
 misericordiam Abrahamo, & filiis ejus
 qui ex fide sunt, quam jurasti parentibus
 nostris primis a diebus antiquitatis (Mich.
 VII, 20.) Benedictus es tu IEHOVAH,
 DEUS, faciens mirabilia solus. Et be-
 nedictum erit nomen gloriae Tuæ in æ-
 ternum, etiam pro castigationibus medi-
 cinalibus, quas utrique sexui hominum
 imposuisti, ut cognoscamus & videamus,
 quod malum & amarum sit deserere Te,
 IEHOVAH, Deum nostrum (Jer. II, 19.)
 O quam salutariter luget Ephraimus: ca-
 stigasti me, & castigatus sum: converte
 me, ut convertar, quia Tu es IEHOVAH,

G

Deus

Deus meus. Post namque cum conver-
sus fuero, consolationem habebo. (Jer.
XXXI, 18.) Emisisti Protoplastos sapien-
tissimo & paterno consilio ex horto Eden,
& custodivisti per Cherubim viam arbo-
ris vitæ, ne persuaderet sibi homo, a Sa-
tana corruptus, se vivere posse in æter-
num, si emitteret manum suam & sume-
ret etiam de arbore vitæ, atque sic pro-
priis viribus se posse vitam sibi sumere,
(qua ratione posterior fraus pejor fuisse
prior:) sed ut dares nobis de vero ligno
vitæ, quod est in medio Paradisi Dei; ut
fruamur eo, qui in ligno crucis se dedit
pro nobis, & dixit peccatori pœnitenti ac
credenti: Amen dico tibi, hodie tecum
eris in Paradiso. (Luc. XXIII, 43.)

Custodias, quæso, Benignissime Deus,
mentes nostras, ne altitudinem divitiae-
rum sapientiæ & cognitionis Tuæ rima-
ri, ne imperscrutabilia judicia Tua per-
scrutari, ne impervestigabiles vias Tuas
pervestigare curiose satagant, sed ut per
quotidianam pœnitentiam indies humili-
us dicere discant: quis cognovit mentem
Domini? aut quis consiliarius Ejus fuit?
(Rom. XI, 35. 34.) Des, quæso, ut nomen
IEHO-

IEHOVAH prædicare ex toto corde possumus, dicentes: Date magnitudinem Deo nostro. Petra ille est, cuius perfectum opus est; omnes viae ejus sunt judicium, Deus fidelis veritatis ille; nec perversitas in eo. Justus & rectus ille. Num Deus perdidit nos? non, sed nosmet ipsi, filii ejus, sumus macula nobismet ipsis. (Deut. XXXII, 3. 4. 5.) Væ genti peccatrici; semi malorum, filiis corruptoribus! qui dereliquerunt IEHOVAM; abalienarunt se retrorsum. (Jes. I, 3.) Concludas nos omnes, Alme Deus, in incredulitatem, & Spiritus Sanctus arguat nos de peccato illo, ita ut agnoscamus iniquitatem *ἀπίστας* & necessitatem fidei, atque in fide ambulemus, tanquam unica ad pacem & tranquillitatem cordis via, veniendo ad Iesum, tollendo jugum ejus & discendo ab ipso, quia mitis est, & humilis corde, atque sic inveniamus requiem pro animabus nostris. (Matth. XI, 29.) Confundas & contundas omnes *μεθοδίας* & fraudes Diaboli, quibus doctrinam Verbi Tui de Ortu mali confundere, ac quo minus originem & magnitudinem mali rite perpendamus, aut Medicum ac gratiam medicina' em

G 2

solli-

follicite justoque ordine quæramus, impeditre satagit. Tu, Domine, confortasti me, ut potuerim resistere in die mala, & extinguere omnia malitiosi tela ignita, quibus etiam, quando arborem scientiæ meditatus sum, me petiit ita, ut schedulas iterum iterumque reposuerim. Sufficiet mihi, mi Deus, si aliquid saltem scripsero, quod per benedictionem Tuam gratosam aliquo modo in Nominis Tui S. S. gloriam proximo docili prodesse, & satanæ derogare poterit. Tu, Deus pacis, conteres satanam sub pedes nostros brevi. Gratia Domini nostri, JESU CHRISTI, sit nobiscum. Tibi, qui potes nos stabilire juxta Evangelium, soli sapienti Deo, per IESUM CHRISTUM, Tibi, gloria
in secula Amen.



— 1. —
50B 17
3/17

ULB Halle
004 928 253

3



B.I.G.
Black



MEDITATIO THEOLOGICA
DE
ARBORE SCIENTIÆ
BONI ET MALI,
QVOD
AB EVENTU, QVEM DEUS
PRAEVIDIT, DICTA SIT,
ET QVOD TESTETUR,
A DEO PRAECAUTUM ATQVE
PROVISUM ESSE, NE HOMO
PECCARET.
ACCEDIT
SERIES POSITIONUM ET OB-
SERVATIONVM,
EX PROBATIS THEOLOGIS DE PRAE-
SCIENTIA DEI ET CAVSSA
PECCATI,
DOCTIS ET PIIS MEDITATIONIBUS OBLATA
A
IACOBO CONRADO BALDAMO,
V. D. M.

MAGDEBURGI,
TYPIS CHRISTIANI LEBERECHT FABRI.
A. MDCCXXXII.